

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI
 IN PRIMUM LIBRUM MAIOREM PRIMAE
 philosophiæ, interprete Io. Genesio Sepulveda Cordu-
 benfi ad Clementem Sep. Pont. Max.



MNES homines natura appetunt scire: signum cuius est ipse sensuū amor. & sine nanq; utilitate propter se ipsos sensus amantur, & maxime visus. Non enim solum vt agamus, sed si nihil etiā acturi sumus, videre sane præ cæteris vniuersis expetimus. idque ex eo fit, quia sensus hic ad cognoscendum maxime suppetit, compluresque differentias rerum declarat.



MNES homines natura appetūt scire.) *Actioni autē præstare cognitionē, indicio est, quod omnis actio ad alium finē refertur. Nam & ipsæ virtutū actiones, quæ omnium maxime sua sponte videntur expetendæ, ad aliud tamē quiddā referri videntur. Quippe animantes, quæ vacant affectibus, vt dij, nihil indigēt virtutū actionibus: vt intelligatur, virtutes a nobis propter affectus expeti, & quoniā ad ipsos, ipsoꝝq; castigatio: nem correctionēq; pertinet. Natura enim affectibus obnoxij sumus. At nulla contēplatio, neq; sciētia ad aliquid aliud videtur referri. Cognitio enim rerū natura consistentium, vt plerāq; aliæ, ob se ipsam est expetēda. At nō ex hoc tantū arguitur actione nobiliore esse cognitionem, sed etiam, quia si duo in eadē re versentur, alterq; illam intelligat tantū, alter efficiat agatq;, intelligēs tantū quomodo agendū sit, agente & efficiēte honoratior est. Quod si cognitio simpliciter nobilior est actione, architecti enim artificibus præferuntur, cognoscētes scilicet agētibus efficiētibusq;, cōsequēs est, vt intelligere, q̄ agere simpliciter melius nobilitusq; habeatur. Porro si in ipsis etiā rebus agēdis cognitio actionibus antefertur, dubitari nō debet, quin lōge sit nobilissimū ipsum maxime intelligere, qđ principiorū cognitio maxime præbet. hæc autē sapiētia nūcupatur. sapiētia igitur omnium est nobilissima.

*Initiū desideratur.

Actioni cognitio præstat.

Sapientia.

Animalia igitur vna cū sensu natura fiunt. Ex hoc autem in aliis memoria nō fit, in aliis fit: & propterea eorum quæ memoriā habent, alia prudentia sunt, alia magis discere possunt. Et prudentia quidem sine habilitate discendi sunt, quæ sonos audire non possunt, vt apes, & si quid aliud tale genus est animalis. discit autem id omne, quod & hunc cum memoriā sensum habet.

3 Animalia igit vna cū sensu natura fiunt.) Postq̄ dixit, ab homine nō vsus modo, sed etiā cognitio: nis gratia sensus diligi, quoniā sensus homini ad cognitionē etiā conducūt, (neq; enim per sensus tantū homini cognitio cōtingit, cui aliud adminiculū, hoc est ratio præter cæteras animātes suppetit ad cognitionē, cuius rationis propriū est cognoscere) & docuisset hominē ceteris animātib; perfectiorē esse, & sapiētiam cūctis cognitionē esse videri, quæ omnium sit præstantissima, per hæc docet nos, simulq; confirmat, merito supra dictum esse, sensus ab hominibus cognitionis etiā gratia diligi. Exponitq; ordinē potentiārum animæ, quæ in sensibus efficiuntur, quomodo perfectiora animalia à minus perfectis discernuntur: & hominē, quia præter cetera animalia cōpos rationis sit, cæteris esse perfectiorē. Quæ omnia ipsi ad rationē sapiētia cōparantur, ac vt doceat quid est sapiens. Sed animalibus, inquit, sensu tantū præditis perfectiora sunt, quæ non modo sentiunt, sed possunt etiam quæ senserint meminisse, eademq; prudentiora ac dociliora ijs quæ meminisse nequeunt, communi vtēs vocabulo prudentiora. Nam prudentia proprie in consultando versatur, & ijs rebus, de quibus consilium capitur, diciturq; habitus consultādi. Quāq; & aliter prudentia dicit solertia & discretio circa visa siue imagines rationabilis. Sed præter hos intellectus prudentialis, quæ in ijs ingeneratur, quæ meminisse vaginationes, & circa res agendas versutia quædam naturalis, quæ in ijs ingeneratur, quæ meminisse valent. Est autem memoriā, habitus phāsmatis quasi imaginis eius cuius est imaginatio. Neq; enim ad memoriā satis est imago secūdam imaginationem, sed oportet vt actus in ipsam tanq̄ in imaginem fiat, id est, quasi ab alio fuerit effecta, vt docuit in lib. de Memoria. Explicat autem quomodo dixerit prudentiora, dum addit dociliora. Idcirco enim dixit dociliora, quoniā nonnulla ipsoꝝ meminisse possunt, & quædam voces addiscere atq; imitari, vt auium cōplures. Quin etiā agere aliqua, vt canes, & elephantī, & alia quædam. Quāq; dociliora dictum esse potest pro eo quod est aptiora ad cognoscendum. Animalia enim memoriā prædita cognoscunt, & suum ab alieno dignoscere valent. & per hæc simul ostendit, singulas sensuales facultates animalibus ipsarum compositibus ad consent. & per hæc simul ostendit, singulas sensuales facultates animalibus ipsarum compositibus ad cognitionem comparandam conferre, à sensu ipso principium sumentes. Apprehensio enim quæ per sensum efficitur, disciplina quædam est. Sunt autē dociliora animalia, quæ absentibus etiā sensibilibus motū ab ipsis effectū retinere possunt. Porro imaginatio & sensus inter se conuerti vidētur, in quibus enim horum alterum inest, in eisdem alterum habetur, vt docuit in tertio lib. de Anima.

Prudentia in quo versatur.

Memoria.

Dociliora

Animalia q̄ prudentiora.

2
 Cætera igitur animalia imaginationibus atq; memoriis viuunt, expertiaq; experiētia sunt, nisi perparū. Genus autē hominū & arte uiuit, & ratione, atq; ex memoria quidē hominibus experientia fit. Cōplures enim eiusdē rei memoriæ, vnius experiētia facultatē efficiunt. Vidēturq; sciētia & ars & experientia fere similes esse. Per experientiam autē ars emergit, atq; scientia: nam experiētia quidem, vt inquit Polus, artē efficit, recte dicens, in experientia vero fortunā. Fit autē ars, cum ex multis experientia cōceptibus vna de similibus oritur vniuersalis existimatio. nā existimationē habere, hoc ægrotati Calliæ hoc morbo, atq; Socrati, & cōpluribus itē per singulos profuisse, id experientia nimirū est. at omnibus talibus per vnā definitis speciē, ac affectis ægritudine cōtulisse, vt hisce qui pituita aut bili abūdabant, aut æstu affligebantur, id iam artis esse videtur.

3
 Cætera igitur animalia imaginationibus atq; memoriis viuunt. Cum supra dixisset, Animalia vna cū sensu natura fiūt) hoc in loco cætera animalia præter hominē parum experiētia participare dixit, vel significans omnino experientia vacare, vel quali in quibusdā ipsorū paucillimum eius ingignatur: experiētia proportionale intellexit, vt cū appellauit prudentia. At homini præter memoriā experientiam quoq; contingere docet, cum genus humanū arte atq; consideratione viuere dixit, considerationem appellans rationē rerum agendarū, in quibus prudentia proprie versatur. Experiētiam autē peculiariter homini tributā esse, his verbis docet. Atq; ex memoria quidem hominibus experientia fit. Quomodo autem experientia fiat ex memoria, aperte docet. Experiētia enim cognitio quædā iam est rationalis, quæ hoc ab arte superatur, quod experiētia est cognitio quædā vniuersalis alicuius singularis sæpe memoria repetiti, Ars vero non est huius tantum cognitio, sed omnis huic similis quali vnius. Nam vt experiētia in quibus inest, se habet ad memoriā, quæ est alicuius vnius numero rei vel rationis, sic ars & scientia se habet ad experiētiam, quoniam experiētia est multorum ac singularium, id est sensibilem, quorū est memoriā, in vnum complexum & cognitionē breuis cōprehensio. Ars vero est summa multarū experientiarū. Nam experientia est scire laborantibus hoc morbo, hoc medicamentū opulari, artis vero scire tali morbo ægrotantibus talia medicamenta conferre. Quam ob rē ars similia conspiciat ijs quæ ab experientia sumpta sunt. Artis est enim rei similis discursus, vt ipse per exēpla docet aperte. Dicit autē hunc morbum, pro tali morbo. Neq; enim in iuuamentis tantū, sed etiam in morbis ars per simile discurret. Neq; vero negat fieri posse, vt ars citra experientiam discatur, sed initio artē per experientiam inuentā fuisse ait. Nam, vt postea docebit, fieri potest, vt sit quispiam artifex, qui non sit idē expertus. Illud autē perspicuum est, quod Polus aiebat, qui absq; experientia quidq; efficiunt, ijs fortuitū finem cōtingere, si forte contingat.

Atq; ad agendū quidem, experientia non differt ab arte: quinetiā expertos rē magis attingere videmus, quā eos qui rationē sine experiētia habent: idq; propterea fit, quod experientia quidē singularium, ars autem vniuersalium est cognitio. Actiones vero, generationesq; omnes circa singularia sane versantur. Nā qui medetur, nō hominē sanat, nisi per accidens, sed Calliam, vel Socratem, vel cæterorū aliquem, qui hoc pacto dicuntur, cui accidit hominem esse. Quod si quispiam sine experientia rationem habeat, & vniuersale quidē cognoscat, singulare autē quod in hoc est ignoret, is in medendo persæpe peccabit. singulare enim magis in curationē cadit, vt patet. attamē cognoscere ac intelligere, magis arti quā experientia cōpetere arbitramur, artificesq; sapientiores expertis esse censemus, ex eo sane, quia sapientia in cognoscēdo magis cunctis accommodatur, idq; propterea, quod illi quidē causam sciunt, hi vero nesciunt. experti nanq; esse quidē sciūt, sed propter quid sit ignorāt. illi vero propter quid, & causam ipsam cognoscunt. Quapropter & architectos circa singula præstabiliores esse, magisq; scire, quā eos qui suis manibus opus artis cōficiunt, & sapientiores esse putamus: quoniā hi quidē efficiendarum rerum causas sciunt, illi vero perinde sese habēt, atq; inanimata, quæ faciunt quidem, at nulla prorsus cognitione, vt ignis vrit, hæc tamen natura quadam, illi consuetudine faciunt. Quibus efficitur, vt sapientiores sint quidam, non quia peritiores sint in agēdo, sed quia rationem habeant, causasq; cognoscant. Omnino autem docere posse, scientis signum esse censemus: quapropter artem magis, quā experientiam scientiam esse putamus. artifices enim docere possunt, experti non possunt. Præterea nullum sensum esse sapientiam arbitramur. Quanquā enim hi propriissime sunt cognitiones singularium rerum, de nulla tamen propter quid dicunt. Nō enim cur ignis est calidus, sed tantum ipsum calidum esse dicunt.

Homines
 arte & con-
 sideratione
 viuunt.

Experiētia
 & artis col-
 latio.

*Experientia singularium
 Actiones circa singula
 via uniant.*

Nealby sensus sapientia

4 Atque ad agendum quidem experientia non differt ab arte. Per hæc verba iam ostendit cognitionem actioni prestare, & sapientiã quæ proprie intelligitur, in cognitione consistere, nõ in actione, quoniã si ars nobilior est experiẽtia, cum tamẽ experientia ad actionẽ momenti non minoris habeatur, immo etiam maioris interdũ, minus tamẽ valeat ad cognitionẽ, ex hoc quoq; intelligitur, hominibus cognoscere q̃ agere nobilius esse. Si enim artifices idcirco sapiẽtiores appellamus expertis, quoniam cognitione superant, haud dubie sapientiã scientiam quandã & cognitionem esse conuenit. Aperte vero causam reddit, cur experti, quã artifices citra experiẽtiam instructiores sint ad agendũ, dicens: Nam qui medetur Calliã, hominem sanat per accidẽs, quoniam accidit Calliẽ hominẽ esse. Præfatus autem artifices & sapientes expertis propter cognitionẽ præferri, quod ex cõmuni opinione cõfirmavit (cognoscentes enim sapientes appellare omnibus est consuetũ) quid sit maxime proprium intelligentis, exponit, cognitionẽ scilicet causæ, confirmans & demonstrans proprium esse sapiẽtiæ causas cognoscere, de qua sapientia sermo nobis susceptus est, & sapientiam in primis esse cognitionem primarum causarum. Porro sapientiam non ad actionem, sed ad cognitionẽ referri, aperte docet architectorum argumento, & cognitionem actione nobilitorem esse. Quinetiam artẽ cognitione & scientia causæ præstare experientiæ, colligit ex eo, quod artifices docere possunt, experti non possunt, cum scientis proprium sit docere. Quod autem causæ cognitio sit scientia atq; sapientia, manifesto sensuum colligit argumento, qui etli magis singularia cognoscunt, non tamen sapientiẽ nõcupantur, propterea quod causas cognoscendi facultate vacant.

Expertis, artificibus in expertis ad agendũ instructiores.

Atqui verisimile est, cum hominẽ qui primo præter cõmunes sensus quãuis artem inuenerit, non solum ob utilitatẽ, quæ ab inuentis proficiscitur, sed vt sapientem etiam antecellentemq; cæteris admiratione ab hominibus affici. Atq; cum complures artes inuenirentur, & aliæ ad necessaria, aliæ ad degendum conferrẽt, semper tales sapientiores illis putamus, propterea quod scientiæ ipsorum non ad vsum pertineant. quocirca cunctis iam talibus comparatis, eæ scientiarum inuentæ sunt, quæ neq; ad voluptatem, neq; ad necessaria comparanda conducunt: primoq; iis in locis, vbi primum homines ocio indulxerunt. Quapropter mathematicæ artes primo circa Aegyptũ obortæ sunt. Illic enim concessum est, vt Sacerdotes ocio vacent.

Sacerdotes Aegyptij ociosi

5 Atqui verisimile est. Hæc quoq; verba eo pertinent, vt appareat, cognitionẽ rem esse admiratione & honore dignam, cum inuenciores alicuius rei præter vtile, hominibus fuerint admirationi, vt sapientes, & cæteris excellentiores. Et his simul viam monstrat ad sapientiam, & perfectissimam cognitionem, & quomodo sapientia hominibus, & nobilissimarum rerum inquisitio & cõemplatio contigerit, exponit: vtiq; cum inuentis rebus necessarijs & commodis, aliquid iam excellentius & liberalius hominibus per ocium intelligere liceret. Artes autem voluptatum ministratrices in ordinẽ redigit earum quæ utilitatis gratia quæritæ sunt. Mortales enim voluptate, alie naq; re quie indigentes, res harum effectrices quæsiuerunt. Est autem huiusmodi artium finis, actio quædam. Nam voluptates, quæ a cõtemplatione proficiscuntur, non efficiunt finem voluptatem, sed ipsam sui assecutionem & comitẽ habent. Mathematicas vero disciplinas initium habuisse ab experientia, docet Aegyptiorum sacerdotum commemoratione, qui cum essent ociosi, per cælestes obseruationes primum experientiam nacti, artem deinde confecerunt. Sic & geometria initio inuenta est a terræ partitione. Cæterum vt hæc artes ab ociosis inuentæ sunt, sic ipsarum vsus ocium requirit.

Mathematicæ disciplina, ab experientiã obortæ.

Artes vsus ocium requirit.

Dictum est igitur in morum libris, quid interest inter artem, atque scientiam, cæterosq; similis generis habitus.

6 Dictum est igitur in morũ libris quid intersit inter artẽ. Quoniã pro scientia vsus fuerat artis nomine, vt ipsarum discrimẽ dignoscamus, relegat nos ad libros de moribus. In sexto enim moralium Nicomachiorum reddita est ab ipso differentia, quo in loco dicit quinque numero esse, quibus anima verax est veritate quæ in oratione atq; compositione versatur (Nam & sentiendo anima verax esse dicitur) Artem, prudentiam, scientiam, sapientiam, intellectum. Atq; artem esse habitum cum ratione effectiuum, scientiam vero habitũ demonstratiuum, esse autem demonstratiuum, qui ex prioribus, & medio vacantibus, & conclusione notioribus colligit, vel scientiã esse existimationem de vniuersalibus atq; necessarijs: aut cognitionem, qua cognoscitur causa, ob quam res est, illius esse causã, nec rem aliter sese habere posse. Prudentiam vero habitum agendi cum vera ratione in ijs quæ homini bona vel mala sunt, & in consultatiorem cadunt, aut prudentiam esse virtutem partis opinatricis animæ. Intellectum vero virtutem animæ, qua cognoscimus demonstrabilium indemonstrabilia principia. Tum sapientiam esse intellectum & scientiam eorum quæ natura sunt nobilissima. Sed cum nos ad illa relegauit, quæ de artis & scientiæ discrimine dicta sunt, (ars enim in efficiendo vel agendo consistit, scientia in cognitione) protinus quam ob rem hæc sint ab ipso cõmemorata, iungit, vt enim acciperet atq; ostenderet, quæ propriissime ac maxime scientia esse intelligitur, quam & simpliciter sapientiam appellamus, hanc in primis causis primisq; principijs versari cunctis ho-

minibus videri, idcirco demonstravit artē experientię præstare cognitione causę, & eas esse nobiliores, quæ versantur in cognitione causę earū rerum quæ ab ipsis tractantur.

Sed cuius gratia sermonem nunc facimus, id est. omnes enim eam sciētiam, quæ sapientia nuncupatur, circa primas causas & principia esse putāt. Quapropter expertus, ut prius est dictum, sensum quenuis habentibus, artifex expertis, architectus manu cōficientibus opus artis, contēplator effectore sapientior esse videtur. Patet igitur sapientiam circa principia quædam causasve scientiam esse. Quoniam autem hanc scientiam quærimus, hoc erit nobis considerandum, quarum inquam causarum principiorumq; scientia sapientia est.

Experientia
sensu sapiē-
tior.

Scientia.
Sapientia.

Sed cuius gratia sermonē nunc facimus, id est. His verbis aperte ipse declarat, quo sermo pertineat, & cuius gratia superiora sint commemorata, scilicet ut ostendatur specularices artes, q̄ actiuas cunctis videri nobiliores, & sapientiam esse primorum principiorum cognitrice. quod demonstratum est a nobis, cum ostenderemus semper nomen sapientię in ijs magis vsurpari, qui magis valēt cognitione. Experientia enim q̄ sensus sapientior esse putatur, quia iam cognitio quædā est rationalis. Cōprehensio enim vniuersalis rationalis est. Ars vero q̄ experientia, quoniam artem causam cognoscit, cum rei similis contemplatio fiat per causę cognitionem. Architectus, inquit, manu cōficientibus. id est, Architectus sapientior est artifice, qui opus conficit, & contēplatrices artes quā effectrices sapientiam magis attingūt, quia non ad vsū pertinent, sed ad vitā traducendā, & ipsius cognitionis gratia capessuntur. Quoniam autē hanc sciētiam quærimus, id est, quoniam susceptum a nobis negociū est inquisitio huius sciētię, intelligere oportet in quibus vei setur scientia, quam inquirimus. Dictis enim satis declaratur, sciētiam esse circa quædā principia & causas. Sapientia enim confessione omnium est cognitio principiorū & causarū, & sapiens, qui harum rerū scientia præditus est. Cū igitur sapientia cōmuni mortalium de ipsa consensu sit cognitio principiorum & causarum, & causę multifariam intelligantur, merito primū quærit, quarum causarum & principiorum cognitio sit sapientia, de qua nobis futurus est sermo. Supra ergo dixit appellatā sapientiam opinione omnium in primis causis principijsq; versari. Sed quoniā perspicuum est, quę sint prima principia, primęq; causę, idcirco sumens pro confesso sapientiam in principijs & causis versari, quærit in quibus: atq; versari in primis demonstrabit. Aut certe ne illo quidem in loco ipsum accipit ut indubitatum, sed ut demonstrandum. Quamobrem ex necessitate causarum partitionem exequitur, docens eas dici quadrupliciter, commemoratq; priorum placita de causis, ut siquid ab illis recte fuerit inuentū, id sequamur: sin minus, aliquid præterea inuestigemus. Oportet igitur ex hac disciplina primorum principiorum & causarū cognitionē petere. hæc autem sunt entis velut principia, propter quæ existūt singula entia de quibus esse prædicat: huiusmodi autē sunt primę & quę propriissime substantię esse intelliguntur. hæc namq; substantiarū principia sunt, substantię vero ceterarum rerum, ut demonstravit. Ex hac igitur doctrina harum rerū cognitio petenda est, & quæcunq; ad ipsarum cognitionem faciūt, de quibus ipsis plurimus habetur sermo. Neq; enim aliter cognitio ipsorū haberi potest, nisi prius constitutis, & refutatis quæ obesse videantur.

Si igitur existimationes quispiam eas, quas circa sapiētes habemus, sumpserit, id forsitan inde magis perspicuum fiet. Primum itaq; existimamus sapientem omnia scire, maxime quoad fieri potest, non per singula scientiam ipsorum habentem. Deinde sapientem eum esse putamus, qui difficilia homini, non facilia cognitu, cognoscere potest. Sentire enim omnibus est commune, quapropter facile, & haud sapiens est.

Sapientis
manus.

Si igitur existimationes quispiā eas, quas habemus de sapiēte, sumpserit. Consuevit in cunctis semper Aristoteles aliqua demonstraturus pro principijs uti cōmunibus & naturalibus mortalium opinionibus, asseuerās cognitionē atq; sciētię appetitū hominibus esse naturalē, & quod sciētia principia nobis sint a natura tributa. hæc enim sunt cōmunes intelligentię: ut in naturali auditu in quęstione de loco, itē cum de tēpore disputaret, ad summā in cunctis fere quæstionibus hac via procedit. Ad hunc igitur modū hoc in loco inuestigans in quibusnam principijs versetur sapientia, & quod sit munus sapientis, & omnino quis sit sapiēs, explicat cōmunes sententiās & naturales quas habemus de sapiētibus, ut his consentanea conquiretes, apte atq; conueniēter sumamus ponamusq;. Hęc igitur sunt quæ, ut refert, cōmuni sentētia sapienti ac sapientię deferūtur, omnia scire cōmuniter, & vniuersaliter, & posse de cunctis cōprehensim disputare, non ut qui per singulas scientias aut artes sapiens sit. Nam qui tali doctrina valent, ij non iam sapientes, sed artifices, & eius de quo disputant sciētes esse putātur. Sed neq; fieri potest, ut quidem omnia sapiēs aliter q̄ ut dictum est sciat. quocirca adiecit, quoad fieri potest. Ad hæc sapiens scire putatur excellētia & difficilia, & quæ nō facile cognoscuntur. Nā qui vulgata & facilia sciunt, ij non putātur esse sapientes: quo fit, ut sensus nō appelletur sapientia, nec sentientes, quā sentiūt, sapientes. Cōmunis enim & facilis est cognitio sensualis. Iā vero qui exacte curiosę de singulis intelligibilibus agit, nec fallitur, is quoq; sapiēs appellatur.

Præterea magis exactum magisqueabilem ad principia tradenda causasque doctrina, sapientiore esse circa scientiam quamlibet arbitramur. Scientiarum etiam eam quæ sui causa sciendi que gratia est expetibilis, magis sane quam ea quæ est euentus gratia, sapientiam esse censemus, & magis principem itidem magis, quam subministrantem. Non enim præcepta sapientem suscipere, sed præcipere, nec hunc alii, sed huic minus sapientem obtèperare oportere censemus. Tales igitur & tot de sapientia & sapientibus estimationes habemus.

9 Magis exactum, magisqueabilem ad principia tradenda, id est, qui reddendis causis doctrinam præbet, is magis appellatur sapiens, quam qui aliter docent. Scientiarum etiam ea sapientia nuncupatur, quæ non propter extrinsecus accidentia expetitur, sed propter cognitionem quæ ex ipsa scientia suggeritur. & rursum sapientes, qui huiusmodi scientia præditi sunt, id est, qui sciunt ea, quæ propter ipsam cognitionem expetuntur, non quorumpiam accidentium gratia. Illud autem, magis exactum, magisqueabilem ad principia tradenda, non ut unum, sed ut duo oportet accipere. hæc enim differunt inter se, & ad hunc modum sex efficiuntur quæ hominum consensus tribuit sapienti. Præterea qui cognoscit res principatum & imperio potiores, sapientior esse putatur, quam qui res nouit subiectas. Et inter scientias, quæ principalior & potior habetur, quam scientia ministratrix, magis est sapientia. Hæc igitur de sapientibus cum sic statuit Aristoteles, velut communibus sententijs confessa, tætat ea singula huic tribuere, qui primas & vniuersales causas cognoscit, per hæc demonstrans id, quod fuerat præfatus, appellatam sapientiam in primis causis & principijs versari, hominum esse communem consentum. Maxime namque vniuersaliter & communiter is omnium rerum habet scientiam, qui nouit prima principia. Nam quemadmodum qui nouit principia quarundam rerum, is quaedam illarum cognitionem vniuersalem habet, sic qui nouit omnium rerum principia, is omnium rerum vniuersalem quandam obtinet cognitionem.

Horum autem primum, omnia inquam scire ei competat, qui maxime scientiam habet vniuersalem, necesse est. Iste namque scit quomodo sese habent vniuersa subiecta. Ferre autem & ea sunt hominibus difficillima cognitu, quæ maxime vniuersalia sunt. Longissime namque a sensibus distant.

10 Horum autem ipsum scire ei competat, qui maxime scientiam habet vniuersalem, necesse est. Illi verbo scire, deest verbum, omnia. Nam qui maxime habet vniuersalem scientiam, huic omnium rerum cognitio suppetit. hoc enim positum erat. Est autem maxime omnium vniuersalis scientia, quæ de entibus habetur, quæ entia sunt. Ens enim cunctis rebus existentibus est commune. Sed ex ijs quæ cadunt in cognitionem mortaliu, vniuersalia sunt hominibus cognitu longe difficillima, propterea quod sint a sensibus remotissima, quod erat secundum ex ijs quæ posita sunt communi sententia tribui sapienti. Siquidem entium simplicissima quæque & prima longissime absunt a sensibus. Addidit autem hominibus, ad differentiam naturæ. Notiora enim naturæ sunt ea, quam quæ sensibus percipiuntur. Quinetiam scientiarum cognitio longe primorum exactissima est. Nam doctrinæ quæ ex primis habentur, cæteris sunt exactiores. Siquidem exactiores sunt, quæ ex paucioribus. ex paucioribus autem, ut quæque sunt principijs propiores, ut dictum est in libris posterioru. Idcirco enim propriissimas & potissimum demonstrationes eas esse dixit, quæ a propositionibus medio vacantijs & primis proficiuntur, proxime ab ijs quæ per has demonstrantur. At si principijs propiores ob ipsorum cognitionem perfectiores sunt, dubitari non debet, quin ipsorum principiorum scientiæ longe sint perfectiores, propter quas, quæ ad ipsa propius accedunt, cæteris habentur exactiores. Esse autem perfectiores, quæ ex paucioribus existunt, & sunt principijs propiores, quam quæ ex pluribus ac remotiores, quanquam docuit, ut modo dixi, in posterioribus resolutorijs, tamen nunc quoque ostendit Arithmetice & Geometriæ argumento, quarum discrimen est, quod geometria versatur in ijs quæ positionem habent. Signum namque & linea & cætera, in quibus versatur geometria, situm habet. vniuersitas autem & numerus positionem carent: quo fit ut geometria arithmetice demonstrationibus utatur, ut qui eis indigeat ad suarum confirmationem, arithmetice non item geometricis.

Exactissimæ præterea scientiarum hæc sunt, quæ primorum maximè sunt.

11 Exactissimæ præterea scientiarum hæc sunt, quæ primorum maximæ sunt. Non est existimandum, hoc cum eo pugnare, quod dictum est in præfatione Physici auditus, ubi docens faciendum esse initium a nobis notioribus, dicit totum notius esse per sensum, & vniuersale totum quoddam esse. Neque enim primum idem est quod vniuersale. Nam prima causa motrix, de qua ipsi propositum est disputare, est illa quidem omnium prima, non tamen sic vniuersalis, ut genera. Sed neque illic vniuersale quod dicitur velut genus primum esse dixit, quod sensu percipiatur, sed id quod communius est, & pluribus accidit, ut exemplis declarauit.

Etenim quæ ex paucioribus accipiuntur, exactiores iis sunt, quæ ex additione sumuntur: quo pacto arithmetice exactior esse geometria constat. At vero magis etiam ad

docendum accommodata esse videtur ea scientia, quæ causarum magis est contemplatrix. ii nanq; docent, qui causas circa singula dicunt atq; assignant. Cognoscere etiam atque scire, cognoscendi sciendique causa ei maxime competit, quæ maxime scibilis scientia est. Qui nanq; scire expetit ob id ipsum, is eam expetet maxime, quæ maxime scientia est. at talis est ea, quæ maxime scibilis est. Prima vero & causæ maxime scibilia sunt. ob hæc enim atque ex hisce cætera, & non hæc per subiecta cognosci solent. Princeps quoque maxime scientiarum, ac magis quàm subministrans est ea quæ gratia cuius agendum est vnumquodq; cognoscit.

Etenim quæ ex paucioribus accipiuntur, exactiores sunt. Nam cui accidunt pauciora, hoc difficilius est cognitu, & maiore curam requirit: & cui nihil accidit, huius cognitio difficilius est, ac proinde maiorem etiam diligentiam desiderat, non suppetente auxilio ab accidētibus in ipsorum substantiæ notitiam, prorsus vt ab ipsa sola substantiæ sit petenda cognitio. Harum autem rerū scientia potior est, quia scire magis efficit. Præterea demonstratio quæ proprie intelligitur, ex prioribus concludit. Nam cætera tunc demum demonstrant, cum fuerint demonstrata per hæc, quæ per alia priora fidem sui non acceperunt. At scientia quæ ex primis accipitur, ex paucioribus accipitur. quæ autem ex paucioribus, exactior est & exquisitior, ac proinde quæ ex primis existit. siquidē quæ per hæc demonstrantur, causæ sunt posterioribus vt demonstrētur. Sed quærat aliquis, quomodo cognitio primorum principiorū & causarum difficillima est, si in his cognitio per demonstrationē expeditior est nobis? An cognitio principiorum, quæ sunt quasi sententiæ per quas cætera demonstrantur, hoc est demonstratiuorum principiorum in expedito nobis est, non autem principiorum entis? quod si ita est, quomodo hæc principia sciuntur? An hæc quoq; per demonstrationem? Nam demonstrationis horum, sententiæ quoq; sunt principia. At cum omnis demonstratio ex primis habeatur, fit vt aliqua his habeantur priora. An nihil prohibet, ipsis quoq; vt demonstrabilibus priora quædam esse dici? Sed si demonstratio est cognitio per causam, tunc aliqua esset horum causa, quæ proinde prior haberetur. An non omnis demonstratio per causam efficitur? Illud autem compertum est, qui causas intelligunt, ijs maiorem ad docendum inesse facultatem. siquidem docentium proprium munus est, causas reddere eorum quæ docent, vt supra dixit. Cæterum vel dicit scientiam quæ causas contemplatur, magis esse doctricē, quàm dissimilem. doctrina enim siue præceptio per causas efficitur, cætera sola hæc sit causarum contemplatrix. hæ enim sunt causæ quæ proprie intelliguntur. Aut certe hoc dicit. Scientia quæ considerat ea quæ magis sunt causæ, magis est apta docere, cum doctrina per causas tradatur. hæc autem est doctrina quæ considerat quæ magis sunt causæ. hæc ergo maiorem facultatem habet docendi. Item cognoscere & scire ipsarum rerū quæ intelliguntur & cognoscuntur, gratia, & non alterius, id cognitioni potissimum quæ de causis & principijs habetur, contingit. Ea nanq; sunt maxime scibilia, per quæ aliorum scibilium quodq; scibile est. Quare cum sint quædam scientiæ propter ipsas expetendæ, vt positum est, huiusmodi scientia omnium maxime sua sponte expetenda esse videri debet. Nam qui scire cupit ob hoc ipsum vt sciat, is eam expetet maxime, quæ potissimum est scientia: quoniam cui scire propter se est expetendum, huic maxime expetendum est quod est maxime scibile. huiusmodi vero sunt primæ causæ, primæq; principia, cum aliorum cognitio ab horum cognitione pendeat. Tunc enim arbitramur rem quancq; intelligere, vt ipse dixit in physica, cum principia & causas eius cognoscimus. Quod vero hæc sint maxime scibilia, ostendit, cum dicit, demonstrationes ex primis fiunt, scibilium autem cognitio per demonstrationem cōtingit. quo fit, vt primæ causæ sint cæteris demonstrandi ac scientiam ingenerandi vim habentibus causæ vt talia sunt. Nam principia scientiarum hæc habent pro principijs. Sed scientiarum ea est facile princeps, quæ principes causas cognoscit. hæc sunt autem quorum gratia cætera sunt. In cunctis enim rebus scientia quæ cognoscit cuius causa efficiendorum quodque fieri debeat, præstantior est, quàm quæ eadē efficit, ac ministræ fungitur munere, vt in architectonica licet intelligere.

Hoc autē est ipsum in singulis bonū, atq; id omnino quod est summū in omni natura bonū. Ex omnibus igitur quæ dicta sunt, in eandē cadit scientiam id quod quæritur nomen. Nam primorum ipsam principiorum ac causarum contemplatricem esse oportet. Summū enim bonum, & id gratia cuius, vna est causarum.

Hoc autem est. Quia vero dixit, quæ gratia cuius agendum est vnumquodque cognoscit, declarat quæ sit huiusmodi causa, cuius gratia vnumquodq; agendum est, dicens, hoc autem est ipsum in singulis bonum, hæc enim est causa finalis. Nam vt ipse dixit in exordio moralium Nicomachiorum, omnis ars omnisq; doctrina atq; actus & electio bonum quoddam appetere videtur. Tale autem est id quod est omnium rerum causa. Cuncta enim illius gratia & sunt & efficiuntur. quæ vero natura fiunt, ea quodam sibi innato appetitu ad illud spectant. Quo fit, vt scientia quæ huiusmodi bonū cognoscit, facile princeps haberi debeat. Sed volens explicare primam causam esse rebus causam vt finem, & scientiam quæ huiusmodi causam cognoscit, præstantiorem esse effectricibus eorum quæ illius

Accidētia ad cognitionem cōducunt.

Docentiū munus.

Maxime scibilia, quæ.

Bonū, causa finalis rerum omnium.

gratia sunt, dixit illam potiore esse, quæ gratia cuius agendum sit vnumquodq; cognoscit, quàm quæ ministerio fungitur. Argumētatio vero est huiusmodi. Si cunctis in artibus & disciplinis, quæ cognoscit id gratia cuius, & finem, præstantior est, quàm quæ aliquid efficit, merito quæ finē rerum omnium cognoscit, & cuius gratia omnia & sunt & fiunt, ea facile princeps primaq; haberi debet. Talis autem est sapientia, quæ primam causam contemplatur, quandoquidem cuncta entia præstantissimum bonorum & ipsum summum bonum appetant: summum autem bonum est prima causa. Quibus demonstratis, quæ supra dicta sunt, in pauca colligit, declarans ex cunctis ijs, quæ sapientes consequuntur, demonstrari sapientiam esse primorum principiorum & causarum contemplatricem. Nam summum bonum, & cuius gratia cuncta sunt & efficiuntur, cuius boni hæc doctrina est contemplatrix, de numero causarum est, cum sit huiusmodi causa, vt finis. oportet enim ipsam primorum principiorum & causarum esse contemplatricem. Ex omnibus ergo dictis efficitur, vt sapientia sit scientia primorum principiorum & causarum contemplatrix. Addidit autem, summum enim bonum, & id gratia cuius vna est causarum, quoniam dixerat hominum consensu oportere sapientiam esse principiorum scientiam, non ministratricem, & eam scientiam esse præstantiorem, quæ cognoscit cuius gratia vnumquodq; agendum sit. hoc vero summum bonum est.

Non esse autem effectricem, ex iis etiam qui primo philosophati sunt, patet. Ob admirationes enim homines & nunc & primo philosophari cœperunt, principio quidem facilia mirabilium admirantes, deinde paulatim sic procedentes, & de maioribus dubitantes, vt de lunæ ac Solis affectibus, de stellis, de ortu etiam vniuersi. Qui vero dubitat, & admiratur: is ignorare se arbitratur.

14 Non esse autem. Præfatus igitur præstantiorem esse scientiam quæ cognoscit cuius gratia vna quæq; res est, quod quidem est summum bonum, ostendit scientiam quæ cognoscit primas causas, hoc quoq; cognoscere, & ob id principem esse. Per hæc verba, Non esse autem effectricem, ex iis etiam qui primo philosophati sunt, patet. Philosophiã & sapientiam non esse neq; efficientem nec actiuam, sed in cōtemplatione versari, ex hoc demonstratur, quoniam initio qui primum philosophati sunt, inde processerunt ad inquisitionem, & inuentionem harum rerum, quod admiraretur quomodo earum quæq; sese haberet. porro admirari hominum est non intelligentium. Si ergo propter ignorantiam admirabantur, & propter admirationem ad philosophandum aggressi sunt, nimirum eius gratia ad philosophandum accessere, quod ab ipsis ignorantiam debuit amoliri. Cognitio autem, non actio, ignorantia eos debuit explicare. Cognitionis igitur, non actionis gratia accesserunt ad philosophandum. Nam si propter ignorantiam ipsorum inquisitionem sunt aggressi: dubium non est, quin cognitionis desiderio ducti fuerint, cum ignorantia non effectio, sed cognitio medeatur. Cæterum Aristotelis mos est eandem appellare sapientiam, & primam philosophiam. Nam perfectissima philosophia exorsa ab admiratione processit ad inquisitionem. Deinde cum quæ inquirebat inueniret, ita se in his gerebat, vt admiraretur, si ea sese aliter habere possent, vt in processu commemorabit. Sed initio philosophari cœptum esse ait, dum mortales facilia & obuia quæq; admirarentur propter quædam quæ ipsis præter rationem fieri videbatur. Exempli causa, cur electrum paleas ad se trahat, cur magnes ferrum, aut quid sit arcus cælestis, aut omnino quibus ex rebus nubes concrecant, vnde tonitrua edantur, quomodo fiant fulgurationes: deinde paulatim eo processerunt, vt de rebus maioribus admirantes inquirerent ac philosopharentur. sed affectus lunæ vocat defectus ipsius, & accretiones atque decrementsa, & pari ratione Solis defectus & ortus atque occasus. At dubitare & admirari ob opinionem fit ignorantia.

Admiratio philosophandi occasio.

Quapropter & fabularum amator philosophus quodammodo esse videtur. ex mirabilibus enim fabula constat. Quare si vt ignorationem fugiant, philosophati sunt, patet ob cognitionem, & non vsus cuiusquæ gratia scientiam illos esse sequutos. testis autem est & id ipsum quod accidit. Cum enim omnia necessaria ad facile cum voluptateq; viuendum adessent, quæri talis prudentia cœpit. Quo patet ob nullam aliam vtilitatem nos ipsam quærere, sed vt hominem eum liberum esse dicimus, qui sui ipsius est gratia, non ob alium, sic & ipsam solam scientiarum liberam esse. est enim hæc sui ipsius gratia sola, quapropter & non humana possessio ipsius, nõ iniuria putaretur. Multis enim conditionibus serua natura hominum est. quare secundum Simonidem deus solus hunc habet honorem. At enim virum non solum eam quæ ad ipsum accommodatur, quærere decet. Quod si vera dicunt poetæ, & in deum inuidia cadit, hac in re maxime verisimile est id ipsum accidere, & infortunatos eos homines esse, qui hæc superflua quærunt. Sed neque deus inuidus esse potest, sed vt & prouerbio dicitur, multis in rebus mentiuntur poetæ.

Fabula **rū ama** **tor phi** **losofph⁹.** **Quādo** **cœptum** **philofo** **phari.** **Homi** **nē decet** **supra** **morta** **lia que** **rere.**

Quapropter.) Adiecit autem, quapropter fabularū amator philosophus quodāmodo esse videtur, quoniam studet ea discere, quæ ob ignorantiam sui sunt admiranda, propterea quod fabulæ ex admirandis & fidē non capientibus constituuntur. Qui autē propter admirationē aliquarū rerū conantur intelligere, ij philosophi sunt. Sed initio non cuiuspiā emolumenti aut actionis, sed cognitionis gratia cœptū esse philosophari, ex historia quoq; cōfirmavit. Comparatis enim rebus necessarijs & cōmodis ad vitam degēdam, aggressi sunt homines inquisitionem philosophiæ, & huiusmodi rerum contemplationem. Quod si suppetētib; necessarijs & commodis ad vitam, aggressi sunt homines per philosophiam indagare, satis intelligitur, non vt inuestigarent rem aliquam necessariam ex ijs quæ pertinent ad vitam degendam, inquirendi negocium eos suscepisse. At omnes effectrices artes aliquid huiusmodi quærunt. quærunt enim, efficiuntq; aliqua vel ex necessarijs & vtilibus, vel ex ijs quæ faciunt ad vitæ facilitatem. Appellat autem prudentiam huiusmodi sapientiam & contemplationem, eandemque ingenuis hominibus similē esse ait, qui propter se ipsos, non quemadmodū serui, aliorum gratia sunt. Nam seruus, vt in Politicis docuit, est qui cum homo sit, alterius est: qualis qui ob ingenij tarditatem non ad rerum cognitionem, sed ad seruiendū est aptus. Siquidem huiusmodi cognitio quasi sola doctrinarū libera sit, ipsa sui gratia est. Hanc vero propter se expetendam esse, quanquam nullam vtilitatem exhibeat, sed contra impedimento sit parandis vtilibus, argumētū est, quod se attingentibus, tantum ingerit amorem sui, vt nihil aliud efficere velint, impedimentumq; & molestiam esse putent, quidquid se ab studio ipsius auocarit. Quamobrē merito dicit hanc cognitionem non humanam, sed diuinam esse censerī. Homines enim propter indigētiam pleriq; in rebus serui sunt, cum ipsius causa multa agere cogantur. Nam quia homines huiusmodi sunt, idcirco ipsis valetudo atq; diuitiæ ac cætera huiusmodi in bonis habentur. Quo fit, vt in hæc paranda studium atque operam conferant. Deus autem, omnis indigentię immunis est & liber. Quo in loco similia ijs dicit, quæ dixerat in moralibus Nicomachijs. Illic enim dixit. Quoniam non oportet, vt quidam præcipiunt, qui homo sit, hunc humana sapere: & mortalia, qui mortalis, sed aliquid supra quærere. Nam hæc & talia dicit illo in loco. Quocirca, inquit, si verū est, quod poetę tradunt, deum inuidere excellentibus mortalibus, ac proinde incoelices esse omnes qui aliqua facultate excellūt, ceterisq; mortalibus præstant, utiq; sapientibus maxime inuidet. hi nanq; verissime supra mortale naturam quidquam habent. Attamen fieri non potest, vt in deum cadat inuidencia. Nam inuidencia, vt testatur diuinus Plato, procul est a choro diuino. Sed multis, inquit, in rebus mentiuntur poetæ: ex quarum rerum numero hæc est vna.

Neq; tali sciētiam honorabiliorem vllam aliam putare oportet. Eam enim honorabilissimā esse patet, quæ diuinissima est. At hæc sola dupliciter talis est. ea nanq; diuina est maxime, quam maxime deus habet, & ea rursus quæ diuinarum est rerum. sola autem hæc vtrinq; conditionem hanc subit. nam & deus omnibus causa, principiumve quoddam esse videtur, & talē sciētiam aut solus aut maxime deus habet. omnes igitur magis hac necessariæ sunt, præstabiliior vero nulla. Oportet tamen in ipsius acquisitione fieri nobis econtra, atq; cum a principio quærimus. nam incipiunt quidem, vt dictū est, omnes ab admiratione, vt fit cum mira quædam spectātur, causa nondum perspecta: miranturque si ita res se habeat, aut circa solstitia, aut circa diametri quadrati incommensurabilitatem.

Admi **ratio,** **philofo** **phadi oc** **casio.** Neq; tali, inquit, scientia honoratiorem vllam aliam putare oportet. Nam quæ maxime diuina est, ob hoc ipsum est longe nobilissima. hæc autē scientia est maxime diuina, quia simillima est deorum actioni. Nam cum sit probabile, deum aliquid agere: hac excepta actione, nulla alia decet diuinam maiestatem. Præterea quoniam est diuinarum rerum cognitio, est enim cognitio primarū causarum & principiorum, deus autem est primū principium, & causa cæterorum. Et per hæc demonstrat hanc doctrinam merito appellari theologiā, id est scientiam de deo. Omnes igitur, inquit, aliæ magis hac necessariæ sunt: quoniā hæc omnino necessaria nō est. Præstantior vero nulla. hæc enim est omnium præstantissima, quippe cū sit maxime diuina. Deinde viam & rationem ostēdit huius doctrinæ cōparandę, quam quidē admirationē esse dicit oppositorū ijs quę admirantes initio homines philosophari cœperunt, quoniā ante cognitionem homines admirabantur, si res possent sic sese habere. Nactis vero cognitionē, admirationi erat, si possent nō sic se habere. Porro admirabilia esse dicit pēgmata, quæ per se ac sponte moueri videntur, dū a rerum admirandarū artificibus ostentantur. Sunt autē Solis cōuersiones, de quibus mentionē facit, solstitium æstiuum, & solstitiū brumale.

Mirabile nanq; cunctis esse videtur, si quid omnino non mensuretur. Oportet autē huius exitū ad cōtrarium atq; melius, vti dicitur prouerbio, fieri, cum didicerint. nihil enim magis vir geometra profecto mirabitur, quam si diameter commensurabilis fiat. Quænam igitur natura sit eius sciētia, quam quærimus, & quod propositum signūve sit, quo inquisitionem, doctrinamve totam attingere oportet, satis iam explicauimus.

17 Mirabile nanque cunctis esse videtur, si quid minimo non mensuretur. Hoc dicitur propter diametrum. Cum enim sit in lineis aliquid minimum, ut in numeris, mirabile videtur non omnes lineas minimo mensurari, & esse inter ipsas commensurabiles, si quidem habent aliquam communem mensuram. hoc autem haud verum est. Omnes enim numeri unitate mensurantur, non item omnes lineae mensurantur aliquo vno, quia nulla est minima linea. Ac proinde non omnes lineae sunt commensurabiles. Eae nanque magnitudines commensurabiles sunt, quae eadem mensura mensurantur. In oppositum autem & melius desinunt, qui ex ignorantia, & proinde admiratione verorum, quasi non possint sic habere, transeunt ad cognitionem. Nam qui scientiam ipsorum accipiunt, miratur, si possit ipsorum aliquid aliter sese habere. Ut est in proverbio) Proverbium fortasse intelligit, quod ait, secundorum meliorum. Quenam igitur sit natura eius scientiae, quam quaerimus, explicatum est) Dicitur enim hanc contemplatricem esse, non actiuam, & primarum causarum principiorumque cognitricem. Et quod propositum signumve sit quod inquisitionem doctrinamve totam attingere oportet) Oportet enim ex admiratione verorum propter ignorantiam transire, propter scientiam in admirationem oppositorum veris, si fieri possit an aliter se habeant, quam ut cognita sunt. Sed posito & explicato sapientiam primorum esse contemplatricem, merito in primis quadripartitam facit diuisionem causarum, ut in Physico auditu. Ac caetera quidem aperte referuntur: quae vero de forma dicta sunt, aliqua indigent enarratione.

Magnitudines commensurabiles.

Cum autem constet primarum scientiam causarum sumere oportere, (tunc enim vnumquodque dicimus scire, cum primam cognoscere causam arbitramur) causae vero quatuor modis dicuntur, has in medium afferamus oportet.

18 Cum autem constet ex principio causarum scientiam sumere oportere, (tunc enim vnumquodque dicimus scire, cum primam cognoscere causam arbitramur). Ex principio causarum dixit pro primis causis. Cognitionem autem, quae per scientiam habetur earum rerum quae habent principium, & causas perdere ex cognitione primorum principiorum & causarum, in exordio etiam Physici auditus testatus est, quod item in Posterioribus resolutorijs demonstrauit, & nunc similiter reperit. Qui enim aliqua cognoscit non a primis causis, sed ab iis quae cohaerentes sunt, siue proximae aliquibus, quarum sunt aliae priores causae, is non cognoscit ipsas causas quae proximae sunt rei de qua quaeritur. Quod si tunc quod principia causasque habet, cognoscitur, cum ipsius principiorum habetur cognitio, & qui initio a non cognitis cognitionem nactus est, hic non proprie dicitur ea scire, merito dicitur ipsum scire perdere ex cognitione primarum causarum: per hoc confirmans, sapientiae, quae contemplatrix est primarum causarum, id acceptum ferri, ut caeterae doctrinae scientiae sint.

Itaque causam vnam dicimus esse substantiam ipsam, quiditatemve. nam ipsum propter quid primum, ad ipsam vltimo rationem redigitur.

19 Itaque causam vnam esse dicimus substantiam ipsam, & quiditatem. Substantiam appellat formam. Nec immerito formam cuiusque rei vocauit substantiam, cum res quaeque per formam sit id quod est. Propterea enim per hanc definita definiuntur. Nam quiditatem dicens, definitionem significat, atque rationem. (Quoniam ipsum propter quid primum, ad ipsam vltimo rationem redigitur) id est ad definitionem. hoc autem est causa formalis. In hanc enim ait vltimo redigi ipsum quare. Porro (vltimo) dixit, quoniam reddita definitione, non vltra quaerimus quare, scilicet quasi nacti iam simus cognitionem eius causae, de qua nobis erat quaestio. Nam percotati quare ignis calefaciat, postquam edocti sumus quod esse ipsius ignis est esse calidum & calefactiuum, non amplius quaerimus quare calefacit. Iam enim habemus quod querebamus. Rursus si quis quaerat, quare nix est visus discretiua, etiam si responsum acceperit, quoniam est alba, non tamen desistet ab inquisitione, quare. Requiret enim quare albam discernit visum. At qui accepto aliquo responso, quaerit etiam num quare, profecto is non dum causam accepit. Postquam vero didicit quod hoc est esse ipsius albi, est enim ratio & definitio albi discretiui visus, non vltra quaerit causam quare album discernit visum: siquidem post huiusmodi responsum nihil est necesse quaerere quare sic se res habet. Merito ergo dicit vnam causam esse substantiam & quiditatem cuiusque rei. sed hanc causam esse declarat id quod subiungitur, quia, inquit, ipsum quare in rationem vltimo redigitur. Dixitque (vltimo) quoniam ad quaestionem quare, nonnullae aliae etiam responsiones reddi possunt, quae nondum rationem & definitionem contineant. Quamobrem huiusmodi responsiones causam formalem docere nequeunt: nec inquireres quare, a quaerendo desistit. Adhuc enim dici non potest causam esse redditam, dum quaeritur quare. quaestio enim quare, causae quaestio est. Id igitur est causa, quo audito in quaestione quare, desistimus ab huiusmodi quaestione. desistimus autem audita definitione & forma. haec igitur est causa. Sed quia dixerat ipsum quare primum vltimo ad definitionem redigi, idcirco quomodo vltimum est primum & causa, explicat per proxima verba. Nam quod vltimum dicitur in responsione, id primum est in natura & causa: ideoque subiungit.

Causa vero principiumque id est, quod primum, cum propter quid quaeritur, assignatur. Alteram autem materiam, & subiectum: tertiam, eam vnde est principium motus.

Causa vero & principium est ipsum primum quare. Nam quod in quaestione quare, ultimo respondetur, id proprie causa est: quod autem sic est primum causa, id causa est eorum quae sic sunt causa. quod igitur ultimo respondetur in quaestione quare, prima causa est huiusmodi causarum. Cui si quis addat, definitio autem est ultimum in responsis ad quaestionem quare, is concludere poterit definitionem esse primam causam formalium causarum. Quiditas ergo & definitio est prima causa, hoc est forma. Nam per formam cuiusque rei quiditas ipsius accipitur. Aut dicit, causa vero & principium & primum est ipsum quare, id est substantia & quiditas: quoniam ultimum quod respondetur in quaestione quare, prima causa est. Aut significat eorum quae ante ipsum responsa sunt, causam principiumque esse, id est eorum quae respondentur in quaestione quare. hoc est enim ultimum quod respondetur. Nam ultimum in quaestione quare, prima causa est & principium. Neque vero dixit ultimum in responsione, esse primum in natura, sed hoc praetermissio, cum diceret id quod huius est consequens, illud scilicet, causa vero & principium est ipsum quare primum, obscure locutus est. idcirco enim quare est primum, quoniam ultimum in responsione quare, quod est primum in natura, est causa & principium in responsione quare. Responsione autem ultima ad quare, primam causam explicari hinc intelligitur, quia quaestio principij est ipsum quare. cuius autem responso accepto non ultra quaeritur quare, id proprie principium est. principium autem est primum. Alteram vero, inquit, materiam, & subiectum. Subiectum latius patet quam materia, cum diuinorum subiectum non sit materia.

Quartam eam quae huic opponitur, id inquam, gratia cuius caetera fiunt, ac ipsum bonum. finis enim hoc est omnis generationis, omnisque motus. Atque quanquam contemplati de ipsis sumus in hisce quae de natura dicta fuere: tamen ad veritatem magis perspicendam maiores etiam nostros, qui rerum contemplationem aggressi sunt, sumamus oportet. & illos enim principia quaedam & causas dicere constat. Si igitur illorum sententias in medium attulerimus, aliquid euenerit sane, quod ad propositum doctrinae huius accommodabitur. Aut enim aliud quippiam inueniemus causae genus, aut hisce quae magis dicuntur nunc, credemus.

Quartam eam, quae huic opponitur: id inquam gratia cuius, atque ipsum bonum. Finis enim hoc est omnis generationis) Facta mentione causae efficietis, haec autem est unde proficitur principium motus, docet causam finale oppositam esse causae efficietis, quoniam altera praexistit, altera ultima est. quod ipse exposuit subiungens. Finis enim hoc est generationis, omnisque motus. Si enim illa est principium, haec autem finis, merito dicuntur opponi. Sed finis quodammodo causa est efficientis, qui finis in efficiendo ultimus est, natura vero & ratione primus. finem namque ratione anticipantes, actionem propter ipsum exordimur. Quin ea quoque quae natura fiunt, hunc quasi scopum & propositum petunt spectantque. Scopos autem praexistit, iam bonum ipsum esse causam ut finem: & principium huiusmodi esse finem generationis & omnis motus, ipse, ut supra dixi, docet in exordio Ethicorum cum dicit. Omnis ars & omnis disciplina bonum quoddam appetere videtur. Quod si res omnes suum quaque finem appetunt, ut bonum, profecto quod proprie finis intelligitur, & quem appetunt omnia quae mouentur, summum bonum erit, & optimum entium. quod ipse quoque in Ethicis exposuit, dicens: Quae obrem summum bonum recte id esse definiunt, quod omnia appetunt. Caeterum explicata partitione causarum, inquisiturus in qua potissimum causa versetur sapientia, cum causae plurimam dicantur, optima ratione primum in sententias priorum inquirat, & quam aut quas causas quisque attulerit, exponit. Quod vlti nobis fore dicit ad confirmationem memoratarum causarum. Nam vel alium modum inueniemus causarum, si forte quae a veteribus dicta sunt, sub hanc diuisionem cadere non videbuntur: aut certe si quae tradidere, non excedunt numerum causarum a nobis traditum, partitioni nostrae velut commode factae maiorem fidem adhibebimus.

Plurimi itaque eorum qui primo philosophati sunt, ea sola principia omnium esse existimarunt, quae sub ratione materiae collocantur. Id enim elementum rerum & principium esse dicunt, ex quo fiunt vniuersa, fiuntque primo, & in quod ultimum corrumpuntur, substantia permanente quidem, mutationem autem in affectibus subeunte: & idcirco neque fieri quicquam, neque corrumpi putant, quia talis natura semper seruetur, quemadmodum neque Socratem dicimus aut simpliciter fieri, cum bonus fit, aut musicus, aut corrumpi simpliciter cum hos habitus abiicit, quia manet ipsum subiectum, Socrates inquam ipse, neque quicquam identidem caeterorum. Oportet enim quandam vnam esse naturam, vel plures vna, ex quibus, aut ex qua persistente, salua caetera fiunt. Multitudinem tamen speciemque principii talis non eandem inquirunt omnes.

Plurimi itaque eorum qui primo philosophati sunt.) Causam cur sententias veterum hoc in lo

co commemoret, ipse exponit aperte, quoniam placita illorum refert, non quasi & ipsi putauerint hæc esse principia substantiarum naturalium, tunc enim memoratio aliena esset a proposito, sed quia putabant hæc esse omnium rerum principia, in quibus rebus continentur nunc proposita. Illi enim itatuebant rerum naturalium hæc esse principia, quæ ab ipso traduntur. sed has tantum, & nihil præterea esse rati, quærebant eadem principia rerum naturalium & omnium entium. Veteres autem solam causam materialem asseruisse declarat, docens ipsos dixisse causam & principium entium id esse, ex quo primo aliquid efficitur, & in quod vltimum aboletur, substantia manente quidem, sed affectionibus variante. Res namque huiusmodi est materia, quæ suam substantiam in quibus rebus habetur, immortalem & ingenitam conseruat, mutatur autem affectionibus, dum aliqua ex ipsa generantur. Illud autem (quæ in materiæ specie) dictum est pro eo, quæ sunt in hac specie principiorum materialium, sola esse putabant. Idcirco neque fieri quicquam, neque corrumpi putant, quia talis natura semper seruatur. Qui vero affirmant materiam esse corpus quoddam actu, & non, ut ait Aristoteles, facultate, id nihil neque generari, neque interire simpliciter, ut fateantur consequens est, sed quæ generatio appellatur, esse alterationem, ut demonstrat in libris de generatione: ut qui fieri conuincatur materiam, quæ actu existit, semper eandem manere. Posuerunt enim hanc esse immortale principium, & immutabile secundum substantiam, sed in generatione substantiarum, quæ ex ipsa fiunt, affectiones mutare. Alteratio enim est mutatio per affectionem. Qui vero fuerint hi, qui cum solam materialem causam ponerent, non poterant tueri generationem proprie dictam, deinceps exponit. Quorum primum fuisse ait Thaletem. hic enim inter eos qui referuntur, primus auctor esse videtur naturalis philosophiæ, cuius sententiam exponit aperte, demonstratque manifesto Socratis exemplo, non posse istos tueri generationem, quibus placet subiectum actu, prorsus existere, quod semper retineat suam substantiam in quibus rebus habetur. Nam singula quæ ex hoc efficiunt, aliquo modo subiectum habent. Oportet enim, inquit, quandam vnam esse naturam, vel plures vna, ex quibus, aut ex qua persistente salua cætera fiant. Qui subiectum vnum esse aiunt, id materiam esse affirmant quoddam ens actu, quod iam per se existit. Qui vero plura subiecta esse asserunt, id ut subiectis verbis docebit, non omnes eadem opinabantur. Quamobrem subiungit, Multitudinem tamen speciemque principij talis non eandem inquit omnes.

Materia.

Thales

Sed Thales quidem auctor talis philosophiæ primus aquam esse dicit. Quapropter & terram super aquam dicebat esse, sumpta forsitan hac existimatione ex eo, quia nutrimentum omnium humidum esse, & ex hoc fieri atque hoc viuere calidum ipsum videbat. Id autem ex quo quippiam fit, ipsius esse principium constat, & insuper quia semina omnium humidam habere naturam videbat, atque aquam naturæ humidis principium esse. Sunt autem qui & valde antiquos, & multo ante hanc ætatē, primosque theologos sic arbitrantur de natura putasse. Oceanum enim & Tethyn patres generationis fecerunt, iusiurandumque deorum aquam, quæ quidem a poetis ipsis Styx appellatur.

23 Sed Thales quidem auctor primus talis philosophiæ) Talis, id est naturalis & contemplatricis. Hic enim physicorum qui memorantur, antiquissimus est: quem putasse aquam esse principium, aperte docet, & cur ita putauerit, propterea scilicet quod omnia humido cibo alantur, esse autem cuiusque a cibo suppeditetur, & omnium rerum semina ex quibus generantur, natura humida sint, & ex hoc, id est ex humido effici calidum ipsum. Thales enim calidum ignemque putabat ex euaporatione ab humido exhalata generari, ex hoc enim ali, esse, & conseruari. hoc enim est quod ait, Atque hoc viuere) Itaque Thales calidum humidum, principium & elementum esse putat rebus naturalibus, quippe cum ex hoc alantur & fiant. Ex quo enim res efficiuntur, id ipsarum principium est. quamobrem aqua principium est ignis, si ex aqua ignis efficitur. Efficitur autem ex aqua, quoniam ea nutrimentum est. Atque aqua humidis naturæ principium est. id est, aqua principium & natura causaque humidis est ut sint. Quod si cæteris rebus, uti seminibus, principium est humidum, & aqua principium est humidorum, nimirum & hæc principium sit eorum quæ sub ipso continentur. Sunt autem, inquit, qui & valde antiquos tradunt) quasi hanc opinionem ad vetustissimos nonnulli referant: primosque Theologos & ipsorum opinionem refert. quo in loco Homerum Hesiodumque designare videtur, quasi hi tuerint primi Theologorum.

Aqua rerum principium.

Nam honorabilissimum quidem est antiquissimum, iusiurandum autem honorabilissimum est. Atque obscurum quidem forsitan est, si hæc opinio de natura vetus sit quædam atque antiqua. Thales tamen hoc pacto fertur de causa prima dixisse. Hippocnem enim nemo cum hisce ponere dignum putabit, ob mentis eius nimiam vilitatem. Anaximenes autem atque Diogenes aerem aqua priorem, maximeque principium corporum simplicium ponunt, Hippasus autem Metapontinus & Heraclitus Ephesius ignem.

Styx, aqua

Nam honorabilissimum quidem est antiquissimum, iusiurandum autem honorabilissimum est.) Quod colligere molitur, huiusmodi est, qui aquam iusiurandum esse deorum commenti sunt, eos quemadmodum Thaletem, aquam entium esse principium posuisse. per huiusmodi autem argumentationem hoc sumimus, quod est honorabilissimum, id profecto vetustissimum est, & principium, iusiurandum autem est honorabilissimum. Nam quod iuramus, id quasi honoratissimum iuramus. Iusiurandum ergo vetustissimum est, & principium. hoc porro aqua esse dicebatur. Styx enim per ipsos aqua erat, sed in dictioe sumere videtur duas propositiones. affirmatiuas in secunda figura, quia non dicit, quod honorabilissimum vetustissimum, sed honorabilissimum quod vetustissimum. quod huic æquipollere videtur. quod vetustissimum, honorabilissimum. Quæ propositio si ad hunc modum sese habet, efficitur secunda figura, in cuius utraq; propositione terminus honorabilissimū prædicatur affirmatiue. quo syllogismo nihil recte concluditur. At non ita sese res habet, sed argumentatio est in prima figura. & honorabilissimum prædicatur de iureiurando, subiicitur autem vetustissimum. atque ita loquutus est, quasi vetustissimum & principium conuertatur cum honorabilissimo, & dictum illud æquualet huic, honorabilissimum est vetustissimum. Quod autem illud per hoc dixerit, declarauit adiiciens, iusiurandum autem est honorabilissimum, cum hoc per honorabilissimum euitasset. Atq; obscurum, inquit, forsitan est, si hæc opinio vetus quædam sit.) quasi non satis constet, an primi theologi fuerint in hac sententia, necne. neque enim hoc manifesto dicebatur. Sed quidam conantur syllogismo demonstrare. Argumentantur enim sumentes duas affirmatiuas propositiones in secunda figura, quemadmodum se habere prædicta ratio videtur obscurius etiamnum. Thales tamē, ait, hoc pacto fertur de causa dixisse. Merito dicit (fertur hoc pacto dixisse) cum nullum sit Thaletis scriptum, ex quo affirmare quispiam possit hæc ab ipso ad hunc modum esse tradita. Hipponem enim nemo cum hisce ponere dignum putabit, ob mentis eius nimiam vilitatem.) Hipponem enim nemo cum hisce ponere dignum putabit, ob mentis eius nimiam vilitatem, non explicans aqua ne sit, ut narratur posuisse pro principio simpliciter humidum indeterminate, non explicans aqua ne sit, ut Thales, an aer, ut Anaximenes & Diogenes. quocirca eius opinionem prætermittit quasi fluitantē, & nihil certi statuentem. Aut certe non propterea omittit eius sententiam, quod sit indiscreta, & nihil habens statutum, tunc enim non dixisset, propter vilitatem opinionis eius, sed quasi non debeat inter philosophos computari propter eius sententiæ vilitatem. Quamobrem dixit (cum hisce) id est cum philosophis: quod fortasse idcirco dixit, quoniam impius fuit, ac longe abhorrens a dei cognitione. In huius enim tumulo huiusmodi legitur epigramma. Hic est Hipponis tumulus, qui fato deficientes dijs immortalibus æquabat. Post hæc de ijs verba facit, qui aerem principium esse dicebant, ipsum ante aquam statuentes, qui quidem fuerunt Anaximenes Milelius, & Diogenes Apolloniata Nam Hippalum Metapontinū, & Heraclitū Ephesium ignē tradidisse ait principium esse omnium.

Hippon.

Empedocles vero ipsa quatuor elementa, quartum iam dictis terram adiungens. hæc enim per manere semper, & non fieri dicit, sed multitudine paucitateve mutationē subire, cum in vnum atq; ex vno congregantur ac disgregantur.

Empedocles

Empedocles vero ipsa quatuor elementa, quartum iam dictis terram adiungens.) Priores enim ipso alij ignem, alij aquam, alij aerem principium esse ponebant. quibus tribus Empedocles terram adiecit quartam. Hæc enim per manere semper, & non fieri dicit, sed multitudine, paucitateve mutationem subire, cum in vnum atq; ex vno congregantur.) Exposuit quomodo ex multitudine & paucitate. Nam mixtio ipsorum, & in vnum coitus, qui ab amicitia efficitur, transitum habet in paucitatem & vnitatem. Discretio vero quæ fit a discordia, dissolutioq; horum, ex vno multa facit. Atq; ita loquitur, quasi hæc possint in huiusmodi mutatione proprias naturas obtinere. Aut non de concretionem & discretione dicit, quarum authores sunt discordia & amicitia, sed de ea quæ videtur esse ipsorum elementorum generatio & interitus: quorum quodq; tunc generari videtur, cum ipsorum aliqua multitudo concreuit. Nam cum in aliqua mixtura plures sunt ignis partes, tunc generatio ignis fieri videtur: cum vero pauciores, interitus. Aut certe sensus est, hæc quidem non generari, sed multitudinem ac paucitatem entium fieri ex horum concretionem & discretione.

Anaxagoras insuper Clazomenius ætate quidem hoc prior, re vero posterior, infinita principia dixit esse. pene enim omnia quæ sunt similia partium, ut aquam vel ignē, sic generari corrumpive congregatione duntaxat, disgregationeue, aliter vero neque fieri neq; corrumpi, sed per manere perpetua dicit. Ex his igitur solam quispiam causam esse putauerit, quæ rationem materiæ subit.

Anaxagoras

Anaxagoras vero Clazomenius ætate quidem hoc prior, re vero posterior.) Anaxagoram qui prior ætate fuit quam Empedocles, posteriorem esse ait re & sententia, quam habuit de rebus naturalibus, non quod prorsus Anaxagoræ opinionem Empedoclis sententiæ præferat, ut prudentiorem pleniorque, sed quia putat Anaxagoræ opinionem posteriorem esse, & magis succinctam. Nam alio in loco præponit Empedoclem, quod ponens finita principia, eadem tueatur. Satius est enim finita, quam infinita principia statuere, si quis per finita eadem tueri valeat, nonnullis tamen in locis

Anaxagoræ sententia quàm Empedoclis opinio potior habetur. Quamquã nunc Anaxagoram operibus esse posteriorem dicere videtur, propter elementorum infinitatem. hæc enim præfatus subiungit. Infinita principia dixit esse) sed in progressu ipsius opinionem conuenire docet cum sententia Platonis, qui posterior fuit. Exposita enim sententia eius, ostensoque doctrinæ ipsius esse consentaneum, vt vnum & infinitum principium esse dici queat, subiicit. Vult tamen aliquid hisce simile dicere quæ posteriores dixerunt, & nunc magis apparent. Pene enim omnia quæ sunt similia partium, vt aqua, & ignis, & singula quatuor corpora sic generari corrumpiq; congregatione & disgregatione videntur, scilicet quia vnumquodq; hoc effici videtur multorum similia conuentu. Ad hunc itaq; modum Anaxagoram dixisse ait, hæc similia, quæ infinita sint & sempiterna, generari, & interire. generari autem complurium similia concretionem, interire discretione. Dixitque propè omnia similia, quia non omnia posuit esse principia. haud enim aquam, terram, ignem, & aerem, quæ similia esse patet sensus argumento, elementa esse dixit, sed misturas quasdam. Ex his igitur, inquit, solam quispian causam esse putauerit) Ex his, scilicet quæ dicta sunt. Nam principia materialia adiecit & corporea. At Empedoclis & Anaxagoræ, qui causas quoque efficientes posuerunt, idcirco meminit, vt declararet quibus causis materialibus isti vli fuerint præter priores. Nam & hos insectatus est, quòd efficientibus causis verbò tenus vli fuerint, nec eas complectantur in ijs generandis, quæ gignuntur ex ipsis elementis.

Hoc autem modo procedentes, ipsa res eos in via posuit, quærereq; coegit. nam tametsi quammaxime generatio corruptioque omnis ex aliquo vno est, aut pluribus, cur tamen id accidit, & quidnam huius est causa? Non enim subiectum seipsum mutari facit. etenim neque lignum neque æs causa est vt vtrunque ipsorum mutetur, neque lignum quidem lecticam, æs vero statuam facit, sed aliud quid mutationis est causa. hoc autem quærere, nil aliud est, quàm alteram quærere causam vnde est principium motus, vt nos eam appellare solemus. Qui igitur huiuscemodi doctrinam a principio tetigere, vnumque subiectum esse dixere, nullam suam in opinione difficultatem sensere.

27 Hoc autem modo procedentes) Docet vnde post causam materialem processerint ad inuestigationem efficientis, scilicet quoniam subiectum aliqua indiget causa vt mutetur in ea in quæ transit. nihil enim seipsum mutare facit sine aliqua externa causa. Qui ergo huiusmodi doctrinam profusus a principio tetigere.) Ad eos redit qui sola causa & principio materiali vli sunt: qui addidisse videtur illud profusus a principio, vt Thales atq; Anaximenem designaret. Nam Empedocles & Anaxagoras, de quibus mentionem fecit, aliquid de principio efficiēte attigisse videntur, vt ipse in processu docebit. Nullam, inquit, in sua opinione difficultatem senserunt) id est, dictorum suorum absurditatem ignorarunt. Neque placita ipsa damnabant, quòd non recte traderentur, neque præter causam materialem aliud principium inuestigabant, velut ipsa non satis esset, nec ab ipsis recte traderetur.

Sed quidam eorum qui vnum dicunt, quasi a quæstione hac superati, vnum ipsum immobile inquiunt esse, totamque naturam non solum generatione corruptioneue, (hoc enim vetustum est, omnesq; in hoc cōsentiunt) sed alia quoque omni mutatione, atque hoc ipsorum proprium est. Nemini igitur vnū vniuersum ipsum ponentiū, talis in mētem causa venit, nisi Parmenidi soli, & huic ea ratione nimirum, qua non solum vnum, sed etiam duas quodammodo causas esse ponit: ii autem magis dicere possunt, qui plura faciunt, vt qui calidum, frigidum, vel ignem & terram ponunt. nam igni quidem vt motiuam habente naturam, aqua vero, terra, & talibus, vt contrariam habentibus naturam vtuntur.

28 Sed quidam eorum qui vnum dicunt, quasi hac quæstione superati, vnum ipsum immobile esse inquiunt) Xenophanem designat, atque Parmenidē & Melissum. isti enim vniuersum vnum esse statuebant: quos ideo ait victos fuisse hac quæstione, quoniam statuentes vniuersum vnum esse, & inuestigantes qui fieri possit, vt hoc vnum ex se mutaretur, non valebant ipsum vnum amplius tueri, nisi vsu rerum explorata inficiarentur, atque adeo prope dixerim manifestissima quæq;. Tollebant enim è rebus motum, & mutationem: quoniam his saluis, non poterant ipsi ens vnum esse asserere. Sed cum dixisset, vnum ipsum immobile inquiunt esse, addit, Totamque naturam) quia ipsis tota natura vnum esse videbatur: & quasi in comperto absurdum sit affirmare totam naturam esse immobilem, adiicit. Non solum generatione & corruptione) quoniam hæ mutationes etsi non sunt motus, fiunt tamen, dum aliqua mouētur. Sed alia quoque omni mutatione. Nemini igitur affirmatum vniuersum esse vnum, huiusmodi causæ cognitio contigit.) huiusmodi, id est efficiētis. per hos enim nihil profusus efficitur. Aut hoc non tantum dicit de ijs, quibus placebat omne vnū esse, idemque immobile, sed etiam de ijs qui subiectum vnum vnamque materiam esse statuebant. Nam &

Parmenides
Eleata.

isti vniuersum vnum esse tradebant. Et fortassis vt ex hoc loco argui potest, cum dixit paulo ante, Ex his igitur solam quispiam causam esse putauerit) hos innuebat, qui vnum elementum esse putabant. Nisi Parmenidi soli) De Parmenide & eius opinione meminit Theophrastus in primo libro de rebus naturalibus, ad hunc modum. Parmenides autem Eleata, qui huic, id est Xenophani successit, vtraque via ingressus est. statuit enim vniuersum esse sempiternum. & generationem rerum tueri conatur, non quòd similem de vtroque sententiam habeat, sed reuera vniuersum vnum esse ratus, idemq; ingenitum, & globosum, ad tuendum generationem ex opinione vulgi rerum apparentium duo principia facit, ignem & terram, alterum vt materiam, alterum vt causam & efficiens. quamobrem Aristoteles dixit, Nisi Parmenidi) idque quatenus duas causas esse statuebat, non quòd ens vnum dicebat esse. Hi autem magis dicere possunt, qui plura faciunt) id est, præter causam materiale efficientem quoque asserere. sed fortasse non loquitur de asserentibus manifesto & efficientem causam, hoc est de Anaxagora & Empedocle, sed de ijs quibus plures causas esse placet. fieri enim potest, vt isti horum subiectorum, alterum efficiens, alterum passiuum efficiant, vt de Parmenide dixit. Nam qui duo esse principia statuit calidum & frigidum, vel ignem & terram, vt Parmenides, is calidum & ignem efficiens esse ait. Igni nanque motricem inesse naturam arbitrantur, aquæ & terræ & talibus passiuam. Dixit autem talibus, aerem significans, aut mixta ex humore & terra.

Post hos autem, taliaque principia, vt non sufficientia ad generandam rerum naturam, ab ipsa veritate compulsi, sicuti diximus, sequens principium quæsiuere. nam vt bene recteque aliæ rerum sese habeant, aliæ fiant, nec ignem fortasse, nec terram, nec aliud quicquam talium verisimile est esse causam, nec illos id ipsum existimasse: nec rursus casui fortunæve tantam rem concedere tribuereque, bene sese habeat. Itaque quidam cum mentem, mundi causam ac vniuersi ordinis esse, perindeque naturæ ac animalibus inesse dixerit, inter priores illos vana dicentes, quali sobrius habitus est. Atque Anaxagoram quidem manifeste sermones hos tetigisse scimus. Hermotimum autem Clazomenium hoc prius dixisse ferunt. hi igitur sic existimantes, causam bene habendi simul principium esse rerum, & talem causam posuere, vnde est principium motus. Primum autem Hesiodum id ipsum quæsiuisse quispiam suspicabitur, & si quis alius amorem aut cupiditatem in hisce quæ sunt, vt principium posuit, quemadmodum est Parmenides. Hic enim generationem extruens vniuersi, sic dicit.

Cunctorum ille deum primum produxit Amorem. & Hesiodus ait,

Ante chaos, post hoc facta est latissima tellus.

Quique alius decus est diuis deus ipse Cupido.

Propterea quod oportet in hisce quæ sunt, causam eam esse, quæ res mouebit ac cõgregabit, sed quisnam horum primus hanc causam attulit, liceat posterius iudicare.

Generatio
nis principii
efficiens

Post hos autem taliaque principia) Post hos, id est post vetustissimos, & talia principia, id est materialia. Dicere autem videtur post eos, qui inter principia materialia ponebant causam efficientem, velut hæc principia non satis sint ad rerum naturam generandam. Hæc enim ordinem seruant, & confectione quadam ferè gignuntur, illorum vero nullum habere potest ordinis causam. Sed neque illud conuenit casui & fortunæ horum causam assignare. Quamobrem causam huiusmodi generationis indagabant, velut rebus & veritate in ipsis contenta ducti, acti & impulsivi. Generationis autem principium efficiens proximum est a materiali. Anaxagoras igitur qui mentem principium esse dixit generandarum rerum, admirationi fuit hominibus, quasi solus rationem fuerit sequutus, ceteris placita sua temere tradentibus, cum huiusmodi causam præterirent. sed addidit, Atque animalibus) quoniam in animalibus mente præditis, mens est principium & causa eorum quæ ab ipsis recte fiunt. Ergo Anaxagoras, inquit, primus in hanc causam manifesto venisse videtur, quanquam Hermotimus eius cuius huiusmodi causæ mentionem fecisse videri potest. Hi ergo cum efficiente causa, causam recte & ordine efficiendi, principium & causam rerum esse statuunt. talis est mens, & huiusmodi motum pertinentem ad recte efficiendum, a causa scilicet procedere videtur efficiente, quoniam causam recte mouendi & efficiendi, non autem causam efficiendi solum & mouendi principium esse ponebant. talis est enim mens. Quanquam Hesiodus, inquit, ante hos de his quæsiuisse cuiuspiam videri potest. Et si quis alius amorem aut cupiditatem in hisce quæ sunt, vt principium posuit, vt Parmenides dicere videtur. & ascripsit ipsorum carmina quibus hæc dicunt. Amor enim & desiderium pulchri ex horum sententia motus principium fuerit. Atque hi quidem bonorum causam in principijs ponunt. Anaxagoras enim bonum causam facit efficiens, hi vero amorem & cupiditatem causantes fortasse bonum quasi finalem causam esse dicunt, quoniam huiusmodi est ipsum appetendum. Aut appetendum est huiusmodi, amor autem causa efficiens: siquidem appetitum sequutus

faciebat, quæ faciebat. Propterea quod oportet in hisce quæ sunt. Docet qualis eorum sententia fuerit, qui amorem causam esse dixerunt. statuebant enim amorem esse causam, quasi oporteat causam quandam motricem & effectricem rebus adesse. Cæterum quis primus auctor fuerit huius causæ, Anaxagoras ne, ut videtur, an Hermotimus ante ipsum, & ante hunc Hesiodus, post modo, inquit, licebit indagare.

Quoniam autem & contraria bonis in natura videbantur inesse, & non solum ordo pulchrumve, sed & inordinatio atque turpe, pluraque mala quam bona, & turpia quam honesta, alius quidam concordiam atque discordiam introduxit, ut vtrorunque causa sit vtrunque. Nam si quispiam sequatur Empedoclem, sumatque ea quæ dicit, ad eius mentem sententiamve, & non ad ea quæ dicit balbutiendo: concordiam quidem bonorum, discordiam autem malorum causam inueniet esse. Quare si quispiam dixerit Empedoclem modo quodam & dicere, & primum dicere bonum ac malum principia rerum esse, recte fortasse dixerit: siquidem bonorum apud eum causa omnium ipsum est bonum, malorum autem malum. Hi igitur, uti diximus, & vsque adeo duas earum causarum quas nos in naturæ contemplatione distinximus, tetigisse videntur, materiam inquam, & eam vnde est principium motus, obscure tamen, & non dilucide, sed ut in pugna rudes inexercitati faciunt. Etenim illi cum agitantur, persæpe præclare agunt, accommodatosque inferunt ictus. Verum neque illi id per scientiam agunt, neque hi qui dicunt, scire videntur. Nihil enim his uti videntur, nisi per parum. nam & Anaxagoras ad extruendum quidem mundum utitur mente, perinde atque diis in scena poetæ, cum in angustum res deducuntur: atque cum dubitat propter quam causam necessario est, tunc ipsam tradit, in cæteris autem omnia magis, ut causas eorum quæ fiunt, quam mentem assignat.

30 Quoniam autem & contraria bonis) Loquutus de his qui principijs annumerarunt principium efficiendi, recte & pulchre, talis namq; mens est cū in animalibus quibus adest, hunc ordinem fortita sit, docet rursus quo ductus Empedocles inter principia efficiētia posuit principium efficiens malorum. Quia enim sunt in rebus etiam mala, idcirco Empedocles nō solum principium bonorum, quæ est amicitia, sed etiā malorum, quæ est discordia, posuit in principijs. si quis enim sensum dictorum illius exerpit, nec simpliciter carmina sequatur, reperiet idcirco Empedoclem amicitiam & discordiam inter principia posuisse, ut altera bonorum, altera malorum esset efficiens. Vocat autem balbutire, obscure loqui, quoniam sic balbutientes loquuntur. Quod si bonorū bonum est causa, malorum malum, utique Empedocles bonum & malum causas esse statuit, bonum amicitiam, malum discordiam. Cæterum sic locutus de bono, omisit mentionem de malo. Hi igitur, uti diximus) Empedoclem dicit & Anaxagoram, Hermotimum item, & ex poetis Hesiodum & Parmenidem, mentionem fecisse causæ efficientis, & non solum materialis, quæ, inquit, eadem sunt, atque ea quæ à nobis dicta fuerunt in Physicis, nec extra illa cadunt, obscure tamē, non aperte, & parum vsi sunt causa efficiente, quod eos sic fecisse exposuit ostenditque, dicens: Fere enim nihil his uti videntur, sed per parum.) Testatur autem Empedoclem primum causam efficientem distinxisse, vsūque fuisse principijs materialibus, & quatuor corporibus pro elementis, at non ipsis parem honorem tribuisse, sed igni cætera opposuisse, ceu tria elementa sint, vna quædam natura, ut patere dicit ex ipsis carminibus. Nam quod Anaxagoras & Empedocles non vsi fuerint causa efficiente, admonuit nos cū ostenderet recte paulo ante illud dictum esse. Ex his igitur solam quispiam causam esse putauerit, quæ materiæ rationem subit.) Porro Anaxagoram mēte quasi machina uti dicit: ut solent in Tragedijs dij ex machina in auxilium laborantium produci, quod ipse declarauit. De Anaxagora vero eadem dicit quæ Plato in Phædone.

Empedocles

Balbutire

Tragediorum mos.

Et Empedocles magis quidem, quam ille causis utitur, non tamē sufficienter, nec in his id inuenit, cui omnes assentiunt atque concedunt. Multis enim in locis ipsi concordia quidem disgregat, discordia autē congregat. Nam cum vniuersum quidem per discordiam in elementa distinguitur, & ignis sane & cæterorum vnumquodque elementorum in vnum tunc congregatur. sed cum per amicitiam in ipsum vnum iterum coeunt, tunc ipsæ partes ex vnoquoque rursus disgregentur necesse est. Empedocles igitur primus præter veteres diuisam hanc causam attulit. non enim vnum principium motus, sed diuersa atq; contraria fecit. Præterea primus ea quatuor esse dixit, quæ ut in materiæ specie elementa dicuntur, non tamen illis ut quatuor, sed ut duobus utitur solis, igni quidem per se, oppositis autem ut vna natura, terra inquam, aere, atque aqua,

hoc autem ipsum ex eius carminibus quispiam sumere potest. Hic igitur, ut diximus, sic & tot principia dixit esse, Leucippus autem & socius ipsius Democritus elementa quidem plenum & vacuum esse aiunt, horum alterum, plenum inquam ac solidum, ens: alterum, id est vacuum, non ens esse dicentes. Quapropter & inquirunt id quod est, non magis quam id quod haud est, esse, quoniam neque vacuum minus quam corpus est, hæc autem causas eorum quæ sunt, ut materiam esse aiunt. Atque ut ii qui vnum subiectam substantiam faciunt, cætera ipsius affectibus generant, rarum ac densum principia affectuum ipsorum ponentes, sic & hi differentias ipsas cæterorum causas esse dicunt. has tamen tres esse asserunt, figuram, ordinem, positionem. Differre enim inquirunt id quod est, figura, ordine, positioneque solum. Nam A quidem ab N figura, A N autem ab N A ordine, & Z ab N positione differt. De motu vero vnde, aut quonam pacto inerit rebus, & hi perinde atque cæteri inertia omiserunt. De duabus igitur causis, ut diximus, eorumque a prioribus quaesitum fuisse videtur. Inter autem hos, & ante hos hi qui Pythagorici vocantur, primi tetigere doctrinas, ac auxere, & in ipsis principia, omnium principia esse putarunt.

Concordiæ
& discordiæ
operatiões.

Leucippus
& Democritus.

Et Empedocles quidem magis quam ille causis utitur.) Empedoclem dicit causis efficiētibus magis usum fuisse, quam Anaxagoram, at ne ipsum quidem Empedoclem abunde eas usurpasse, sed neque constantem sententiam continuisse. oportuit enim ut ipsi amicitia cunctis in rebus causa esset cōcretionis, discordia vicissim discretionis, quod non fit. Sed multis in locis amicitia discernit, discordia concernit, & declarat in quibus. Cum enim vniuersum à discordia ex vno dissidet in elementa, diuiditurque & seiungitur, tunc pristinae partes elementorum, quæ inter se confusæ fuerat (sic enim omnia erant vnum) quæ similes sunt, in idem concresecunt, & congregantur, partes inquam ignis in ignem, & pari ratione aeris in aerem, prorsus ut aeris partes inter se coniunctæ sint. quæ eadem est ratio ignis, & cuiusque elementorum. Sic enim fit vnius in elementa diuisio, qua quidem ratione discordia per ipsum non magis discretionis, quam cōcretionis est causa. Rursus amicitia cum eadem corpora & elemēta concernit, & in vnum cogit, primum ipsa diuidit, & in particulas secat, discernitque. Neque enim integra & singula separatim existentia fiunt id cuius auctor est amicitia. Nam mutuo contactu etiam in discordia essent in vno, sed confunduntur inter se. huius enim rei amicitia fit efficiens, non ut inter se contingant, quod in discordia quoque accideret. Posthac Leucippi & Democriti sententiam de elementis commemorat, quam exponit aperte, & quo discrepent ab alijs, aut cum ipsis consentiant, declarat. Dicebant autem corpus atomorum esse plenum propter soliditatem, & quod expers sit vacui. sed quanquam plenum ens vocabant, inane vero non ens, tamē quoniam similiter per hos plenum existit, atque inane, idcirco dicebant non magis plenum esse, quam inane. Aitque hos quoque solam causam materialem principium esse statuisse. In hoc enim genere pro principijs ponuntur ab istis corpora indiuidua, & inane, ex quibus his cætera generantur secundum figurarum ordinem situumque discrimina, quarum rerum pro figura fluxum, pro ordine contactum, pro situ conuersionem dicebant. Neque aliter hi quam veteres affectionibus materialis causæ ad generationem rerum iuuabantur, at efficientem causam nullam afferebant: ut qui cætera raritate & densitate materiae generabant: nisi quod illi duobus discriminibus utebantur ad generationem eorum quæ ex materia efficiuntur, raritate, & densitate: hi vero, tribus commemoratis, figura, ordine, ac situ. Sed in quibusdam exemplaribus scriptura talis habetur. Et ut Mathematicorum, eodem modo & isti) quod si recte habet, Platonem designat, quoniam ut ille generationem corporum efficiens ex mathematicis, secundum discrimina & multitudinem triangulorum discrimina corporum gignebat, sic & isti secundum discrimina figurarum primorum corporum, cætera ex ipsis generabant. De motu vero vnde, & quonam pacto adsit rebus, hi perinde atque cæteri inertia omiserunt.) De Leucippo loquitur & Democrito, qui alternis ictibus & impulsibus, indiuidua corpora moueri dicebant, vnde vero principium naturalis motus proficisceretur, tacuerunt. Nam motus qui fit alternis ictibus, violentus est, non naturalis: at motus violentus posterior est naturali. Nam neque atomis vnde superpetat grauitas, quidquam dicunt. indiuidua enim quæ in atomis intelliguntur, quæque sunt ipsorum partes, expertia esse aiunt grauitatis. At compositorum ex non grauibus grauitas quonam modo queat generari: quanquam de his in tertio libro de cælo accuratius disputauit. Qui perinde atque cæteri) dixit, quoniam ne illorum quidem quispiam causam reddidit motus in corporibus naturalibus. Nemo igitur cæterorum naturalium auctorum quidquam de motu dixit, ut in naturalibus docuit cum de motu disputaret. De duabus igitur his causis) Materialem dicit & efficientem. Inter autem hos & ante hos) vsque ad illud: Sed quoniam horum numeri sunt primi natura) loquitur de Pythagorici, qui partim ante Democritum & Leucippum, partim æquales ipsorum fuerunt. Aut certe cum dicit, Inter autem hos, & ante hos, non solum de Democrito & Leucippo loquitur, sed etiam de cunctis commemoratis Physicis, qui partim ante Democritum & Leucippum, partim cum ipsis flor-

ruere. Vel potius quoniam ipse Pythagoras Democrito & Leucippo ætate paulo superior fuit, cuius multi auditores cum his floruerunt. hos igitur dicit, cum versati fuissent in mathematicis, principia mathematicum statuissent principia rerum esse. Mathematicum vero principia sunt ipsi numeri, & natura primi per ipsos, quoniam alia ex appositione sunt. Magnitudines enim positionem præsumpserunt, ut supra dixit.

Quoniam autem numeri sunt primi natura, & in numeris magis videbatur eis videre similitudines multas eorum quæ sunt & fiunt, quàm in igne, terra, & aqua, veluti talem quidem numerorum affectum iustitiam esse, talem autem animam atque mentem, aliud vero tempus & cæterorum fere quæque similiter, insuper affectus concentuum in numeris intuentes, ac rationes: quoniam inquam cætera quidem numeris videbantur similia esse in omni natura, numeri vero primi, atque ante omnem naturam, numerorum elementa, omnium quæ sunt, elementa esse putarunt, totumque cælum concentuum ac numerum esse: atque quæcunque in numeris & concentibus ostendere poterant, ad cæli affectus ac partes, & ad vniuersum totum esse accommodata, hæc aggregantes accommodabant: & si quid alicubi deficiebat, illud ad esse perducebant, quo tota sua tractatio perfecta sit, atque connexa: veluti cum denarius numerus perfectus esse, omnemque numerorum naturam comprehendere videatur, & ea quæ feruntur in cælo, decem quidem inquirunt esse. at quia sunt nouem manifesta solum, ideo aduersam terram decimam faciunt. Verum de his aliis in locis exactius est a nobis determinatum.

32 Quoniam autem numeri his priores sunt natura) Præfatus Pythagoricus putasse mathematicum principia omnium rerum principia esse, quia plurimum versati fuerat in mathematicis, deinceps exponit qua ratione ducti venerint in hanc sententiam. Dicitio autem commodius sese haberet, si pro autem, substitueretur enim, ad hunc modum. Quoniam enim rebus numeri priores sunt. Numeri enim ex abstractione sumuntur, & quoniam cernere videbantur multa in his similia rebus quæ sunt vel fiunt, atque in his magis quàm in corporibus simplicibus, quia item videbant concentuum rationes affectiones esse in numeris, idcirco numeros principia rerum esse dicebant. Nam cum cætera omnia similitudinem habeant cum numeris, numeri autem omni natura priores sunt, id est cunctis rebus quæ sunt, quæque secundum naturam constant, numeros principia esse omnium rerum putabant. similitudines autem rerum quæ sunt vel efficiuntur, magis inesse his, id est numeris, quàm corporibus, quæ elementa esse dicuntur, ut terræ, & similibus. Adiecit autem, & cæterorum, quoniam ad numeros entia referebant, & hos illorum elementa esse dicebant, non corpora. Porro quas similitudines rerum inesse numeris dicerent, exponit. Nam quia proprium iustitiæ cõpensationem, & æquabilitatem esse rebantur, idque in numeris reperiebant, idcirco numerum pariter parem primum, iustitiam esse dicebant. Nam quod est primum in singulis habentibus eandem rationem, hoc maxime id esse quod dicitur, asseriebant. Hunc autem numerum alij quatuor esse dicebant, quia cum primus sit quadratus, in paria diuiditur, & est par. est enim bis duo. Alij vero nouem, qui est primus numerus solidus ex impari numero 3 in se multiplicato. Rursus numerum 7 dicebant esse tempestiuitatem, quoniam res naturales multas tempestiuitates habere videntur, tum generationis, cum etiam perfectionis, per septimanas, ut in homine. foetus enim septimo etiam mense vitalis editur, & septimo ætatis anno dentit, & circa annorum alteram septimanam pubescit, circa tertiam barbam emittit. Eadem ratione de sole disserunt, qui cum auctor frugum esse videatur, in eo locum situs est, ubi septimus numerus habetur, qui tempestiuitas appellatur. Nam inter decem corpora quæ circa medium Vestamque mouentur, Solem septimum ordinem obtinere aiunt, ut qui locatus sit post globum constantium stellarum, & quinque errantium astrorum: Lunam octauum, terram nonum, decimum antichthonem seu aduersam terram. Item quia numerus 7 eorum qui in decem continentur, nullum generat, nec ab vno generatur, idcirco ipsum appellabant Mineruam. Numerus enim binarius efficit quatuor, ternarius nouem & sex, item quaternarius octo, quaternarius decem generat: generantur autem 4, & 6, & octo, & nouem, & decem. Septem neque generat quempiam, neque generatur ab aliquo, qualis est Minerua, quæ a nulla matre nata est, & virgo persistit. Quinque vero appellabant nuptias, quia nuptiæ sunt maris & foeminae coniunctio. cum autem impar numerus is sit sit mas, par vicissim foemina, hic primus ex primo numero pari, id est duobus, & primo impari, id est tribus, gignitur. His enim, ut dixi, impar erat mas, par vero foemina. Ad hæc mentem, & substantiam appellabant vnum. animam enim pro mente dixit. sed quia mens stabilis est, & vndique similis, & principatum obtinet, idcirco mentem vnum appellabant & vnitatem. quinetiam substantiam, quoniam substantia primum est. Duo autem vocabant opinionem, quia in vtranque partem flexi potest. motum item, & impositionem. Huiusmodi ergo similitudines rerum & numerorum colligentes, numeros principia esse rerum statuebant, affirmantes omnes res ex numeris constitui.

Cur Pythagorici numeros principia rerum statuebant

Numerus 7 tempestiuitas.

Solis situs.

Cælū quo-
modo nu-
meris con-
stet.

Vnitas,
parimpar.

Antichthō

Cæli concē-
tus.

Præterea videntes concentus ad aliquem numerum constitui, horum quoque principia numeros esse dicebant. Diapason enim in dupla proportione consistit, diapente in sesquialtera, diatessaron in sesquitercia. Asserebantque totum cælum ad quendam concentum constare. hoc enim significat cum ait totum cælum esse numerum, quod ex numeris constaret, & in numerum & concentum. Nam cum corpora quæ circa medium vertuntur, habeant in proportione sua interualla, & alterum altero velocius circumacta sonum efficiant, grauem tardiora, celeriora acutum, qui soni interuallorum proportione fiant, ex his harmonicum sonitum effici tradebant, cuius concentus cum numerum esse principium dictarent, merito cæli & vniuersi numerum principium esse statuebant. Nam Solis exempli causa interuallum a terra in dupla proportione esse putabant quàm Lunæ, interuallum autem Veneris in tripla, Mercurij in quadrupla: & in cæteris singulis inesse aliquam numerorum proportionem, & motum cæli in numeros fieri, & moueri velocissime, vt quæque maximum habeant interuallum: tardissime, vt minimum: media vero, proportione magnitudinis circumferentiæ. Ex his ergo similitudinibus rerum & numerorum, res & entia ex numeris constare, & numeros quosdam esse affirmabant. At numeros omni natura cunctisque rebus naturalibus priores esse rati, cum nulla res valeat sine numero esse, sed ne cognosci quidem omnino, & numeri sine alijs cognosci possint, numerorum elementa, & horum principia, omnium aliarum rerum principia esse statuebant. hæc autem, vt dictum est, sunt par & impar, quorum impar finitum, par infinitum esse credebant, numerorum autem vnitatem esse principium, ex pari & impari constantem. siquidem vnitatem parimparem esse dicebant, quod ostenditur, quoniam ipsa genitrix est paris & imparis numeri, quippe quæ addita pari numero, impari efficit, impari vero parem. Et quæcunq; numeris compositionibusque harmonicis cum cæli affectionibus partibusque conueniunt, hæc illi quasi manifesta sumentes, cælum ex numeris, & in concentum constare demonstrabant. & si qua in cælo a numerorum ordine discrepare videbantur, hæc ipsi supplebant, & implere conabantur: vt sibi tota doctrina constaret. Quapropter cum numerum decem perfectum esse putarent, viderentque in rebus sensu nobis exploratis, nouem globos moueri, septem errantium stellarum, octauum inerrantium, nonum terræ (nam & hanc in orbem moueri arbitrabantur) circa Vestam consistentem, quæ per ipsos est ignis: quandam antichthonem siue oppositam terram suis dogmatis addebant, quam ipsis in oppositum terræ moueri placebat, ac idcirco oculis in terra degentium esse ignotam. Quibus de rebus exactius disseruit in libris de cælo, & in opinionibus Pythagoricorum. Sed harum rerum ordinem per concentum efficiebant, sumentes decem quæ mouentur corpora, ex quibus mundus constituitur, distare inter ipsa harmonicis interuallis, eademque moueri proportione interuallorum, vt supra dictum est, & alia celerius, alia grauius, eademque mouendo sonos edere grauiores, quæ tardius feruntur: acutiores, quæ celerius. ex quibus harmonica proportione temperatis, concentum effici affirmabant, qui idcirco a nobis non exaudiretur, quod ei fuerimus assueti ab ineunte ætate. De quo item in libris de cælo meminit, & falsum esse demonstrauit, docuitque placuisse his parē esse infinitum, imparē finitū. & hæc principium vnitatis esse. vnitatem namque quod ex his constet, parimparem esse, ac proinde principia hæc esse omnis numeri, cum rursus vnitates principia sint numerorū: & numerum esse totum cælum, id est omnia quæ sunt in cælo, hoc est omnia entia. Sed hæc quanquā hoc in loco perstringat, latius tamen de ipsis disseruit in libris de cælo.

Sed cuius gratia hæc enarramus, id est, vt & ab his ea quæ principia esse ponunt, accipiamus, & quonam modo ad dictas causas cadunt. atque videntur & hi numerum principium eorum esse quæ sunt, & vt materiam, & vt affectus, habitusve, putare. Numeri vero elementa esse par, atque impar, & horum alterum finitum esse, alterum infinitum, atque ipsum vnum ex vtrisque his esse. par enim ac impar vnū esse dicebant, numerum autem ex vno constare, & numerum totum ipsum cælum, vt diximus, esse. Alii vero eorundem principia decem inquirunt esse, eaque per seriem attulerunt, finitum inquam, & infinitum, impar & par, vnum & multitudinem, dextrum & sinistrum, marem & femellam, quiescens & quod mouetur, rectum & obliquum, lumen & tenebras, bonum & malum, quadratum & parte altera longius: quo pacto & Alcmeon Crotoniates putasse videtur. nam aut hic ab illis, aut illi ab hoc sententiam hanc susceperunt. Etenim Alcmeon sene iam Pythagora fuit, similemque sententiam attulit. Dicit enim plerasque humanarum rerum duas esse, ipsas inquirens contrarietates, non, vt illi, definitas, sed quasuis, vt album nigrum, dulce amarum, bonum malum, magnum & paruum. Is itaque de reliquis indefinite dixit. Pythagorici vero, & quot, & quænam sint, ipsæ contrarietates, dixerunt. Ab his igitur vtrisque tantum sumere licet, cōtraria inquam principia rerū esse: a Pythagoricis vero, quot & quænam sint illa. Quo tamē modo fieri potest, vt ad dictas causas reducantur, dilucide quidē ab illis non est pertractatū, videntur

tamen elementa ut in materie specie collocare: ex illis enim, ut ex hisce quæ insunt, constare fictamve substantiam inquirunt esse.

33 Sed cuius gratia hæc enarramus, hoc est. Admonet nos, quorsum hoc in loco tam multa dixerit de istorum opinione, ut intelligatur ad quod genus causarum Pythagorici principia referrent. Atque hos videri ait sensisse numerum principium esse rerum, ut materiam, cum ex numerorum compositione cætera cuncta generarent. Et ut affectus, inquit, habitusque quibus verbis declarat placuisse Pythagoricis, numeros affectionum quoque & habituum genitores & causas esse, id est velut causam efficientem. Nam pro discriminibus numerorum, affectiones & habitus ingenerari aiebant rebus ex ipsis compositis. Affectiones enim & habitus numerorum causas esse affectionum & habituum qui in rebus habentur, exempli causa duplum, sesquialterum, sesquialterum. Aut certe quemadmodum Aspasius dicebat, numerus materia est, par autem affectio, impar vero habitus. vel numerorum par est materia & affectio, impar vero habitus. Quæ his adiungit, clara sunt, scilicet numerum imparem esse finitum, parem infinitum, & unum ex utroque constitui, ac idcirco unitatem parem esse & imparem, & numerum generari ex uno constituto ex pari & impari, eo scilicet modo, quo fieri supra diximus. Deinde commemorat quosdam Pythagoricorum decem oppositiones pro principiis posuisse, qui numerus ipsi primus perfectus est: quas secundum quosdam ordines ponebant, ad eas res ipsas redigentes. & exponit quæ sunt, finitum scilicet & infinitum, impar & par, unum & multitudo, dextrum & sinistrum, mas & foemina, quiescens & motum, rectum & curvum, lumem & tenebram, bonum & malum, quadratum & parte altera longius. Refertque Alcmeonem Crotoniatam perinde atque hos de principiis statuisse, ut qui singularentia ad aliquam oppositionem referre conaretur, seu contrarietates principia essent: quanquam a Pythagoricis discrepabat, quoniam Pythagorici decem esse confirmantes, has explicabant determinabant, que, hic autem quantumque oppositionem indeterminatè principium esse dicebat. Itaque omnis contrarietas principium huic esse poterat. Pythagoricis ergo, qui fuerunt in hac sententia cum Alcmeone, conveniebat contraria esse principia rerum. At statuere quot & quæ, proprium est Pythagoricorum. Addit autem Pythagoricis numerum posuisse principium & causam ut materiam, non quasi hoc illi aperte tradiderint. Nam de his, ut ipse testatur, nihil exposuerunt, sed quia hoc consentaneum est iis quæ ab illis dicebantur. Ex illis enim, inquit, ut ex hisce quæ insunt, constitutam fictamque substantiam inquirunt esse. Merito fictam dixit dum de huiusmodi generatione verba faceret. Talis enim generatio figmento similis est, nec ullam habet cum vero similitudinem.

Pythagorici.

Aspasius

Pythagoricorum oppositiones decem pro principiis.

Antiquorum igitur, pluraque dicentium elementa esse naturæ, ex hisce satis quispiam mentem perspicere potest. Sunt autem qui de uniuerso perinde atque si unius esset naturæ, dixerunt, non tamen modo eodem omnes, aut ratione recti, aut ratione eius quod est secundum naturam. Atque sermo de hisce nullo modo ad præsentem causarum considerationem accommodatur. non enim ut naturalium quidam, uno supposito eo quod est, ex ipso tanquam ex materia generant, sed alio modo dicunt. illi namque uniuersum generantes, motum addunt, hi vero immobile inquirunt esse.

34 Antiquorum ergo, pluraque dicentium elementa esse naturæ) id est elementa rerum naturaliter efficiendarum. Dicit autem plura, vel materialia, vel plura elementa, id est plures causas. Nam præter materiam nonnulli causam efficientem asseriebant, ut retulit. Post quorum commemorationem redit ad mentionem illorum, qui ens unum esse statuebant, non unum principium, ut quidam naturales authores dixerunt, sed quasi una natura esset uniuersi: de quorum numero fuerunt Xenophanes, & Parmenides, atque Melissus. Quamquam huius opinionis commemorationem inutilem esse dicit ad inquisitionem principiorum & causarum, cum isti unum neque principium neque causam sic esse posuerint: ut qui aquam, aut ignem & aeremve principium esse dicentes, cætera deinde ex hoc mouendo gignebant, sed ens unum esse dicebant, & immobile. Et docet Parmenidis sententia de uno quo discrepet ab opinione Melissi. neque enim uterque eodem modo de uniuerso statuebant, quamuis diceret ipsum esse unum. Aut ratione recti, inquit, aut ratione eius quod est secundum naturam. Ratione naturæ, quoniam eorum, inquit, alter ad materiam spectabat, alter in ipsam quasi formam. Ratione recti, quoniam ille melius, hic peius dicebat, & alter altero probabilius. Nam Parmenidem ait ad formam & rationem respicientem, ens unum esse statuisse, ac idcirco definitum. Rationis enim ac formæ munus est, definire id in quo fuerit. Melissum ad materiam spectasse, ac ideo ipsum infinitum posuisse. Informatio enim materiam attingit.

Rationis ac formæ munus.

Verum tantum si dicatur, ad considerationem erit accommodatum. Parmenides enim id unum quod ad rationem, Melissus id quod ad materiam accommodatur, tetigisse videtur. Quapropter & alter finitum, alter infinitum ipsum esse dixit. Xenophanes autem ante hos unum ipsum attulit primus. Parmenides enim huius fuisse discipulus fertur, nihil tamen dilucide dixit, & neutram naturam tetigisse videtur, sed in totum cælum respiciens, deum ipsum esse ipsum unum dicit. Hi igitur, uti diximus, in hac perscruta-

tione sunt posthabendi, duo quidem, & penitus, Xenophanes inquam atque Melissus propterea quod parum ut rudes sint deesse videtur. Parmenides autem magis alicubi videns dicere illud videtur. præter enim id quod est, id quod haud est, nihil esse censens, id quod est, necessario vnum, & nihil aliud esse putat, de quo dilucidius diximus in hisce quæ de natura sunt dicta. Sed cum ea sequi quæ videntur, compelleretur, ipsum quidem vnum ratione, plura vero sensu ponebat, atque duas causas duoque principia rursus, calidum inquam ac frigidum afferebat, ut ignem ac terram, & horum alterum ut id quod est, alterum ut id quod haud est, ponit.

Xenophanes.

Parmenides.

Verum hæcenus ad hanc considerationem erit accommodatum) verum sententiam, inquit, eorum 35 explicare, qui vniuersum vnum esse statuunt, cætera quidem alienum est ad inquisitionem causarum, quoniam hi non ponunt vnum ut principium, neque ut causam, sed hæcenus accommodabitur, quia horum alter ad materiam spectans, ipsum vnum infinitum esse dicebat, alter ad formam respiciens, finitum. materia enim & forma in causis habentur. Itaque licet nullam causam dicant, quæ tamen dicunt, e quibus ducuntur, de numero causarum sunt. Inculcat autem Xenophanes, quod primus hanc opinionem attulerit. Nam Parmenidem huius auditorum fuisse dicit, qui tamen nihil expresserit, quique harum neutram naturam attigerit, id est neque materiam, neque formam, sed totum coelum spectans, deum ipsum vnum esse affirmauerit. Illud autem, vnum attulit primus, talem habet vim, qui primus ens vnum esse dixit. Laudat porro Parmenidem, quod probabilius quam isti posuerit ens esse vnum. Utitur enim aliqua ratione & ratiocinatione ad huius demonstrationem, cum isti rudius statuissent. vsus est autem hac ratione. Sumebat, quod non est ens, id esse non ens, ut non album, quod non est album. non ens autem nihil esse. quibus positus consequens esse putabat, ens vnum esse. Atque hæc quidem erat rationis probabilitas. Cæterum de his latius disseruit in primo libro Physici auditus, ad quem locum nos nunc quoque relegat. Ens enim æquiuocum est, sed licet accipiatur velut significans vnam naturam, non tamen potest ad hunc modum demonstrari ens vnum numero esse. præterea ex ratione colligitur, quod præter ens est, nihil esse: non tamen vnum esse, aut non ens, cum hoc autem conuertitur non quidem ens esse vnum, sed vnum esse ens. Commemorat autem duplicem Parmenidis opinionem, qui sensus coactus sequi, dicebat ens vnum esse secundum rationem & veritatē, sed plura secundum sensum. secundum quam opinionem mundum genitum esse aiebat, & duo principia ponebat ipsius mundi, & rerum quæ ad hunc modum sunt, ignem & terram, quorum ignem ens dicebat, terram non ens, & frigidum. Itaque non tantum Democritus & Leucippus ens & non ens esse posuerunt in principijs. Ac fortasse Parmenides frigidum appellabat non ens, quoniam hæc magis est materialis causa, videtur autem materia esse quoddam non ens.

Ex dictis igitur à sapientibus, qui huic iam sermoni incubuere, tot nos accepimus, atque à primis quidem corporeum esse principium ipsum. Nam ignis aqua & talia corpora sunt, quorum alii vnum, alii plura, vtrique tamen hæc ut materiam posuere: a quibusdam autem hanc ipsam causam, & eam insuper vnde est principium motus, atque hanc a quibusdam vnam, a quibusdam duas.

Anaxagoras.
Empedocles.

Qui huic iam sermoni incubuere) id est qui indagarunt & inquisuere de his quæ loquimur. vel 36 qui incubuere sermoni horum sapientium de quibus mentionem fecimus. hos enim de quibus mentionem facit, dicere videtur incubuisse huic sermoni, & in eo fuisse versatos. Commemorat ergo de primis veteribus nominatis, quæ vetustiores & primi principium corpus & materiale fecerint, ut Thales aquam, Hippasus & Heraclitus ignem, & quæ his similia sunt. Nam ut dictum est, Anaximenes & Diogenes aerem principium esse ponebant, quibus annumerari potest Anaximander, qui mediã naturam ponebat: cuius opinionis meminit in libris de generatione. Ex hoc item numero sunt Leucippus & Democritus. Nam & hi principia materialia ponebant. Quorum alij vnum, alij plura) vnum ut Thales, Anaximenes, Heraclitus. plura, ut Leucippus & Democritus. Nam secundum hos omnes plura erant principia materialia, & secundum Parmenidem. A quibusdam autem, inquit, hanc ipsam causam & insuper vnde est principium motus) hanc ipsam, id est materialem. Dicitque quosdam causam materiali adieciisse eam vnde motus, designans tamen Anaxagoram, qui mentem ut principium efficiens posuit inter principia, tum Empedoclem, qui quatuor elementis, quæ ipsi erant pro materia, amicitiam & discordiam addebat, & sic principijs utebatur. Ac ideo dixit causam efficientem a quibusdam vnam poni, intelligens Anaxagoram, a quibusdam duplicem, innuens Empedoclem.

Vsq; igitur Italicos, & præter illos mollius cæteri de ipsis dixerunt, verum uti diximus causis duabus vtuntur, & harum alteram quidam vnam faciunt, quidam duas, eam inquam vnde est principium motus. Pythagorici vero duo quidem principia modo eodem est.

se dixerunt, tantum autem addiderunt, quod quidem & proprium est ipsorum. finitum enim & infinitum, ac vnum, non alias quasdam naturas esse putarunt, ut ignem, aut terram, aut aliquid aliud tale, sed ipsum infinitum, ac ipsum vnum, eorum esse substantiam de quibus dicuntur. quapropter & omnium substantiam numerum esse dixerunt. De his igitur hoc modo dixerunt, & de ipso quid est, inceperunt quidem dicere, ac definire. Valde autem simpliciter tractauerunt. in superficie namque definiebant, atque cui primo competeret definitio dicta, id rei substantiam esse putabant, sicuti si quispiam idem esse duplum, dualitatemque ex eo putaret, quia primo duplum duobus inest, at non idem est fortasse dualitatis esse, ac dupli: alioquin ipsum vnum plura profecto erit, quod quidem illis etiam accidebat.

- 37 Vsq̄ue igitur Italos, & præter illos, mollius cæteri de ipsis dixerunt) Italos appellat Pythagorici, quia Pythagoras in Italia Tarenti docuit Philosophiã. & cum dixisset, vsque ad Italos, ne ipsos commemoratis opinionibus annumeraremus, addit, & præter ipsos. Nam cum dicimus vsque ad aliquem, ipsum quoque cum prioribus possumus intelligere. Neque illud vsque, tempus designat hoc in loco. Nam Empedocles cuius opinionis mentionem facit, quasi fuerit in his qui vsque ad Italos, non fuit ante Pythagoram. Sed vsque dixit spectans ad connumerationem opinionum, quæ memoratæ sunt. Prius enim illorum, quam Pythagoræ opinionem refert. Aitque multos qui nominati sunt ante Pythagoram, mollius de causâ disseruisse, id est vna causâ fuisse vsos, hoc est materiali, præter duos Anaxagoram & Empedoclem, qui causæ materiali efficientem adiecerunt. Anaxagoras hanc vnam esse dicens, Empedocles in duas secans, quod ipse declarauit, dicens: Verum uti diximus causis duabus vtuntur.) cui orationi deest *Quidam ex ipsis*) Quamquam in quibusdam exemplaribus legitur stultius pro mollius. quod quidam obscurius, quidam mollius interpretantur. at neque nomen est vsitatum, neque supradictis consentaneum, dicere, qui vsque ad Pythagoricos de causis disseruerunt, eos obscurius fuisse loquutos: cum quæ a Pythagoricis dicta sunt, obscurius dicta fuisse potius reperiri possint. quod si mollius dicere voluisset, hoc ipso nomine fuisset vsus, ut alijs in locis. quamquam in progressu de omnibus qui ante Pythagoram referuntur, dicit: Sed omnes subobscurè loquuti sunt.) Porro Pythagoricos quemadmodum alios duo principia asseruisse dicit. Nam illud modo eodem, significat eos perinde atque alios dixisse. Sed cum paulo ante dixerit, ipsos vna causâ materiali fuisse vsos, quomodo nunc duabus dicit? An duo dicit, non quòd duo genera causarum, sed quòd duo principia materialia efficerent, ut alijs? Nam qui terram & ignem ponunt, ij duo principia materialia efficere videntur. An hoc dicit tanquam placitum illorum, & ipsorum dictis consentaneum? his enim numerus infinitus, id est numerus par. materia erat: finitus autem, id est impar, forma. Sic enim de ipsis in processu commemorat. Sed quomodo etiamnum sunt duo principia secundum Pythagoricos, si, ut ipse refert, principia his erant finitum & infinitum & vnum: ad hunc enim modum tria efficiuntur. An vnum extra hæc non erat? quoniam, ut dictum est, vnitatem parimparem dicebant: si vero par impar, ergo infinitum & finitum. erat autem par infinitum, vicissimque impar finitum. Nam primæ vnitatis principia Pythagoricis erant impar & par. Et fortasse Pythagoricorum hi duobus principijs vsi sunt, qui decem contrarietates ponebant in principijs. has enim in duos redigebant, bonum & malum, alterum ordinem bonum, alterum malum esse affirmantes. Sed horum opinionem a cæteris discrepare ait, quoniam alij qui pro principio vtuntur infinito aut finito, diuersum aliquid & corpus faciunt infinitum & finitum, cui accidat infinito esse, aut finito. quidam enim aquam infinitum esse dicebant, alij aerem, alij mediam quãdam naturam, ut Anaximander. isti vero ipsum infinitum & ipsummet finitum subiectum esse, quoniam numerum parem quæ sua natura est infinitus, cum per ipsos esse infinitum, sit esse numerum parem, & pari ratione numerum impar, qui natura finita sit, entibus subijciebant. Neque enim istis infinitum accidens esse dicebatur eius de quo diceretur, id est numeri paris, sed ipsius substantiã, cum eis numerus par non ideo esset infinitus, quia tãtus esset, sed quia talis: cum istis omne par qua par est, infinitum esse placeret. Eadem ratione vnum substantiã per se esse, & non alteri rei accidere, ut esset vna. Porro quoniã hæc subiecta essent, numerum ipsum omnium rerum substantiam esse affirmabant, ceu res omnes ex numeris ipsis constituerentur. Nam ut ignis est omnium substantia, quibus subijcitur ignis, sic quibus subijcitur numerus, horum omnium numerus est substantia. Atque hos primos aggressos esse ait rationem reddere, ac definire quid sit entium quodque, sed rem simplicissime tractasse, & ruditer ac negligenter. Et exponit quam isti opinionem his de rebus habuerint. Cui enim primum definitio ab ipsis dicta conueniret, id hoc esse dicebant, quod definitione explicaretur, idemque habere rei substantiam explicatam definitione: verbi causa, quoniam amicitiam æqualitatem esse dicebant, ac proinde de ipsius rationem esse pariter par, idcirco cui primum ex numeris hoc suppeteret, hunc amicitiam esse non aliter quam si quis duplum & dualitatem idem esse putaret, quoniam huic primæ duplitiã accidit. quam opinionem corrigens adijcit. At non idem est fortasse dualitatis esse, ac dupli, alioquin ipsum vnum plura profecto erit, quod quidem illis etiam accidebat.) Nam istis vnum multa

Italici, Pythagorici.

Quæstio.
Responso

Amicitia
quid.

Pariter
par.

*

efficiebatur. Vt enim dicenti idem esse duplum & dualitatem, dualitas multa efficitur, omnia scilicet quibus congruit ratio dupli: sic illis qui ita docebant, vnaquæque res multæ efficiebatur. Amicitia enim per hos est numerus cui primum congruit pariter par. quippe amicitiam pariter par esse definiunt: quæ cum sit definitio ipsius, quibuscunque hæc definitio congruerit, erunt amicitia, hoc autem modo vnum multa erit. Illi enim cui numero primum hæc ratio conueniret, hunc rei substantiam esse putabant. At non sic sese res habet. Sed cuiuscunque congruit definitio alicuius, illud est ipsa res cuius est definitio, & inter se conuertuntur. At multa sunt pariter paria, vt 4, & 8, & 16. qui numeri cum differant inter se, erunt tamen amicitia: & sic amicitia quæ vnum est, efficitur plura. Nam pariter par, quia est eadem ratio, quam illi ponebant esse amicitiam, de pluribus vere dicitur. quod ipsum in alijs quoque rebus istis accidit. Aut sensus hic est, si de quibus ratio primum vere dicitur, hæc sunt eadem, atque rationes quæ de ipsis dicuntur. Multæ autem rationes vni primum congruunt. Nam eundem numerum verbi causa tempestiuitas * & Mineruâ esse dicebant. idẽ ergo & vnus numerus multa erit, cum ei multæ rationes diuersæ congruant.

A prioribus igitur cæterisque tot sumi possunt. Post dictas autem philosophias, Platonis accessit tractatio, in plerisque quidem hos sequutus, in nonnullis autem & propria quædam habens, præter Italicorum philosophiam. Ab adolescentia nanque Plato factus amicus primum Cratylo, & in opinionibus Heracliti sententiisque versatus, qui quidem vniuersa semper sensibilia fluere, & de ipsis scientiã non esse censebat, hæc quidem & postea tenuit, atque ita esse putauit. Cum vero natura tota posthabita, circa mores Socrates versaretur, atque in his ipsis vniuersale quæreret, mētemque primus definitionibus adhiberet, illo propter id ipsum probato, hoc de alijs fieri, & non de sensibilibus rebus existimauit. Non enim potest ipsa communis definitio cuiusquam sensibilibus esse, cum semper mutantur. itaque talia quidem ideas formasque vocauit, sensibilia vero præter hæc esse dixit, & hæc dici cuncta.

Platovnde
ideas asse-
ruerit.

A prioribus igitur cæterisque id est ab alijs omnibus, qui illos secuti sunt. Deinceps explicat Platonis sententiã, quem magna ex parte Pythagoricos secutum esse ait, nonnulla ipsum priuatim præcepisse, vt de ideis. & docet qua ratione ductus Plato ideas asseruerit, refertq; ipsum Cratyli familiaritatem nactum, qui studiosus Heracliti erat, ab ipso accepisse omnia sensibilia in fluxu esse, & nihil vnquã consistere, atq; hanc sententiã quasi verã fuisse tutatum. Cæterũ cum Socrates, inquit, occupatus in ea philosophiæ parte, q̄ pertinet ad mores, quæreret vniuersale) Disputans enim de honesto aliquo aut alio, in vniuersum quærebat quid esset honestũ, nec sumebat hoc honestum, sed id de quo quaestio erat, definire conabatur. Præterea Socratẽ dicit nõ differuisse de rebus naturalibus. Sed quomodo Socratem primũ de definitionibus deservisse tradit, si Pythagorici, vt dictũ, est qui hũc etate præcesserunt, id ipsum facere tentarũt? An quia illi, vt testatus est, molliter & citra artificium de ipsis disputauerũt. Ergo Plato suscepta doctrina Socratis circa definitiones & vniuersale, putauit definitiones quarundam aliarum naturarum & fieri, & esse: non autem cuiuspiam sensibilibus, sed ne vniuersalis quidem quod in his habetur: quoniã hæc, & omnia quæ his insunt, etiam vniuersalia, semper fluere, mutari, nec vnquam in eadem natura persistere dicebat, ac proinde definitionem communem & vniuersalem, cuiusmodi hæc sunt de quibus agimus, sensibilibus cuiuspiam esse non posse, ideoq; hæc inepta esse definiendo, quoniam ne esse quidem. Et illas naturas a sensibilibus diuersas, quarum sunt definitiones, ideas appellabat, a quibus sensibilia & esse & dici affirmabat.

Per participationẽ enim pleraq; vniuocorũ formis esse æquiuoca inquit, ipsum vero nomen, id est participationem mutatum cepit. Pythagorici nanq; ea quæ sunt, imitatione numerorũ inquirunt esse: participatione autẽ Plato, nomine mutato, sicuti diximus. Quænam tamen sit participatio formarum vel imitatio, vt in communi quærat, & ipse & illi etiam omiserunt. Insuper præter sensibilia formasque, res mathematicas medias esse dixit, a sensibilibus quidem hoc differentes, quod perpetuæ atque immobiles sunt: a formis autem hoc, quod ipsæ quidem complures similes sunt, forma autem ipsa quæ est vna solum.

Nõ omniũ
sensibiliũ
esse formas

Per participationem nanq; esse pleraq; vniuocorũ formis) Præfatus sensibilia præter hæc & secundũ hæc dici, id est præter hæc & ab his diuersa esse, atq; secundũ hæc dici, quod exposuit, dicens: partitione nanq; pleraq; sensibiliũ habent esse: deinde explicans quæ sunt ista pleraq; addit: Vniuocorum formis) id est vniuocorũ suis formis. vniuoca enim formis vniuoca sunt. Hoc autem est: non omnium sensibilibus formas esse dicebant. Nam eorum quæ ad aliquid dicuntur, nullas esse statuebant, sed ne cuiuspiam quidem eorũ quæ sunt præter naturã, neq; omnino malorum. Aut pleraq; dixit pro sensibilibus, vt sit sensus. Multa & sensibilia sunt participatione earum formarũ quibus sunt

vniuoca. Homines enim sunt participatione hominis, equi autem participatione equi: vt sit sensus, sensibilia & vniuoca formis habent esse participatione formarum. Aut sensus esse potest. Multa esse participatione formarum: hæc autem multa sunt, quæ inter se sunt vniuoca. Multa enim & quæ sunt vniuoca, inter se habent esse participatione vnius formæ. Neque enim cuncta participant vna forma, sed quæcunque sunt similis formæ inter se, ac vniuoca. Non enim sensibilia vniuoca esse diceret ipsis formis referens Platonis opinionem, cum ille dicat formas æquiuocas ijs esse, quæ ad ipsarum exemplar fiunt. Aut secundum Platonem formæ non sunt æquiuocæ ijs quæ ad sui exemplar efficiuntur, sed vniuocæ, qui fortassis in quibus vniuocum usurpat, in ijs ipso communius pro vniuoco vitur. Nam quæ ad exemplar ideæ efficiuntur, ea nisi ratione & forma sunt ideæ similia, quam re alia similia esse possunt, cum ideis nihil adsit aliud, nec ipsis quidquam accidat. At quæ forma sunt similia, hæc vniuoca certe sunt. Nam si ipse homo, forma quædam simplex est, haud dubie, quod ipsi est æquiuocum, eundem secundum formam imitatur. At definitiones secundum formam materialium quoque rerum sunt. quare si homines forma ideæ similes sunt, quæ nihil aliud est quam forma, horum definitio eadem erit atque ideæ. Præterea licet hæc non sint apta definiendo, sed formæ, illarum tamen definitiones de his quoque dicuntur, cum animal rationale mortale de sensibilibus etiam hominibus dicatur, licet horum non sit proprie definitio. Ipsum vero nomen, id est participationem, mutatum cepit hoc est mutauit. Nam imitationem à Pythagoricis appellatam, ipse mutato vocabulo participationem dixit: quæquam nec Pythagoricorum quisquam, nec Plato ipse quid participatio aut imitatio sit, aut quomodo fiat, declarauit, sed qua ratione aut modo fiat, quærere in medio reliquerunt: quam hoc à Platone in Parmenide explicatum esse videtur. Fortasse autem Pythagorici dicebant cæteros numeros tales esse imitatione primorum, quos proprie eas res esse dicebant, quæ de ipsis dicerentur. Insuper præter sensibilia formasque, res mathematicas) Platoni placuisse refert, mathematica esse medias quasdam naturas & substantias inter formas & sensibilia. Nam secundum Platonem media erant inter ipsa, quæ quidem à sensibilibus discrepare putabat, quod essent sempiterna, & profus immobilia, à formis autem, quod formæ vnum aliquid numero essent, mathematica vero in multis, hoc est in sensibilibus, & singularibus quibus insunt, similitudinem declararent. Neque enim ipsa per se subsistunt, sed consideratione. Nam ex materialibus rebus separata materia & motu, per quas & cum quibus datum est ipsis subsistere, supersunt mathematica, quæ in rebus materialibus, & multis, ac per accidentia materialia discrepantibus similitudinem declarant. Aut certe res ita sese habet, Plato tamē non ita differuit, qui naturas ipsas & substantias per se ac sempiternas esse faciebat, sed fortasse multa similia esse dixit in Mathematicis, quasi ipsorum quodque non sit vnum numero. Mathematica enim multa numero sunt triangulus & quadratum, & aliorum quodque: vt sensibilia seruantia similitudinem inter se secundum definitionem. At forma quæque vna numero est.

Quoniam autem formæ sunt cæteris causæ, elementa illarum, omnium quæ sunt elementa esse putauit. Magnum igitur & paruum, vt materiam, esse principia: vnum autem, vt substantiam dixit. Ex illis enim vnius participatione, formas ipsas numeros ipsos esse asserunt.

40 Quoniam autem formæ sunt, cæteris causæ.) Ratus, inquit, Plato formas, hoc est ideæ causas esse cæteris omnibus vt sint, cætera enim illorum participatione sunt, rursus idearum principia cæterorum omnium principia esse statuebat. idearum autem principia, vt materiam & subiectum, magnū & paruum esse tradebat: quæ dualitas quædam esset, vt ipse dicit, indefinita, vt substantiam autem & formam, vnum, quod quomodo esset principium, deinde declarat, dicens. Ex illis enim vnius participatione formas ipsas numeros ipsos esse asserunt.) Ex illis, id est ex magno & paruo coeuntibus, & in specie constitutis ab vno participatione, id est quia sumunt ab ipso vt sint formæ, hoc est ideæ, quæ & ipsæ numeri sunt. Ideas enim numeros específicos esse aiunt. sed cum formas dixisset, addidit numeros. formæ enim vt numeri ideæ sunt. Nam formæ aliæ quoque sunt, quemadmodum estiam numeri.

Ipsam tamen vnum, perinde atque Pythagorici, substantiam esse, nec aliud quicquam esse quod vnum dicatur: & item numeros cæteris, vt illi, substantiæ causas esse dicebat. Pro infinito vero vt vno dualitatem, & infinitum ex magno ac paruo fecisse, hoc ipsius proprium est. & insuper ipse quidem sensibilia dixit esse, illi vero numeros res ipsas esse dicebant, & mathematicas medias inter ista non ponunt.

41 Ipsam tamen vnum substantiam esse, & nullum aliud ens dicens) Præfatus Pythagoricos nullam aliam supposuisse naturam numeris, sed ipsos numeros substantias esse asseruisse, & vnum de nullio alio ente prædicasse, sed statuisse vnū quandam esse substantiam, quæ in esse vnum, habeat esse: hoc quoque de Platone refert, placuisse huic perinde atque illis, vnum substantiam esse, non aliud quiddam ens secundum subiectum, deinde vnum patiens esse. Atque hæc quidem Platoni ait conuenire cum Pythagoricis, item numeros principia & causas rerum esse, quanuis non eodem modo, b iij

Platonis &
Pythagore
differentia
quo ad nu-
meros.

Pythagorici enim numeros causas esse dicebant, quasi inexistentes rebus, & ut materiam, utique quasi ex ipsis omnia entia consisterent. Plato autem ipsos extra res quarum causæ essent, existere, cum eos velut exemplaria esse traderet. Quod vero dicit Ut illi, non sic est accipiendum quasi Plato eadem atque Pythagorici ratione numeros causas esse substantiæ confirmauerit, sed quia ipse quoque, ut illi, numeros rerum causas esse dixit. Pro infinito vero, ut vno, dualitatem, & infinitum ex magno ac paruo fecisse hoc ipsius proprium est. Explicato quæ Platoni cum Pythagoricis conuenirent, adijcit rursus eundem ab illis discrepasse, quoniam illi vnum infinitum esse ponebant, & vnam quandam naturam, quod ipsis erat pro subiecto & materia, hoc autem est numerus par: quoniam specie vnum est par, id est quod in paria diuiditur. Plato vero dualitatem faciebat, quam subiectum esse dicebat, & infinitum, quia non constituitur in specie per se, magnum scilicet & paruum, ac excessum & defectum. in his nanque infiniti naturam esse putabat: quæ quidem illi erant causa materialis: quæquam magnum non est idem specie, atque paruum, neque excessus ac defectus. Sunt enim opposita, ac proinde non sunt vnum. Illud vero, Et infinitum dictum est pro Infinitum enim quod secundum ipsum ex magno & paruo efficitur. Sic enim dictio cōcinnari debet. Ad hæc Plato numeros extra sensibilia relinquebat, nec ipsos rebus subijciebat, ut materiam, nec ipsarum eos sic causas esse statuebat. At Pythagoricis res ipsas, & entia ex numeris constare placebat: cui consentaneum erat, ut res omnes numeros esse faterentur. Est & aliud inter ipsos discrimen, quod Plato mathematica inter sensibilia & ideas collocabat, Pythagorici non item.

Vnum igitur & numerum præter res ipsas fecisse, & non ut Pythagorici, & formarum etiam introductio ob considerationem in differendo nimirum fuit. Priores enim facultatis differendi participes non erant.

Sensibilem
non sunt de
finitiones.

Vnum igitur & numeros præter res ipsas fecisse, & non ut Pythagorici & formarum introductio 42
ob considerationem in differendo nimirum fuit. Explicatis dissensionibus Platonis cum Pythagoricis, nunc causam reddit, cur Plato non perinde ac Pythagorici numeros principia esse rerum statuerit, sed ipsos a sensibilibus exemerit, & ideas alias quasdam substantias & naturas a sensibilibus esse posuerit, & causam fuisse ait rationum exquisitionem, & dialecticam, quam priores nondum attigerant. Nam Plato considerans rerum consequentiam, qui consuetus erat ex dialectica uti diuisione ac definitionibus (dialectici est enim utrunque) per hæc venit in hanc sententiam, ut aliqua separaret a sensibilibus, & putaret esse quasdam alias naturas præter sensibilia. Diuisio enim generum & specierum, non est diuisio sensibilibus. At diuisio sensibiliū, resolutio est ipsorum in elementa & principia, quæ non sunt sensibilia. Neque enim sensibilem quodque idem est, atque id unde suppetit ei ut tale sit, cum artificiosum non hoc sit quod ars, nec naturale quod natura. quare licet numeri sensibilibus in causa sint ut talia sint, vel talia, pari ratione si ideas, sensibilia tamen erunt ab ipsis separata. Sed neque definitiones sensibiliū sunt, cum sint non singularium, sed vniuersalium. Itaque his præceptis dialecticis factum est, ut in contemplatione intelligibiliū versaretur. Quæquam vnum hic quoque substantiam esse dicebat, & quandam naturam separatam, ut Pythagorici. Cæterum hi res ex hoc & alijs numeris generabant, Plato non item.

Dualitatem autem alteram naturam fecisse, ex eo fuit, quia numeri præter primos apte ex ipsa perinde ut ex sigillo quodam fiunt ac generantur.

Numeri,
cur princi-
pia rerum
putati.

Dualitatem autem alteram naturam fecisse, ex eo fuit, quia numeri præter primos ex ipsa perinde 43
de ac ut ex sigillo quodam fiunt ac generantur. Numeros principia rerum esse, Platonis & Pythagoreorum placitum fuit. Primum nanque incompositum ipsis principium esse videbatur. Porro corporibus plana esse priora. simpliciora enim, nec contracta, prima esse natura. planis eadem ratione lineas, lineis puncta, quæ à Mathematicis signa, ab his vnitates appellabantur, quæ simplicia omnia sunt, nec habent quidquam ante se. At vnitates numeri sunt. numeri ergo priores sunt entibus. Et quoniam formæ per Platonem ideæque priores sunt rebus, quæ ad sui exemplar efficiuntur, & ab ipsis habent esse, quas ideas esse multis rationibus confirmare conabatur, idcirco formas numeros esse dicebat. Si enim solitarium prius est ijs quæ ab ipso existunt, nihil autem est prius numero: superest ut formæ numeri sint. quocirca numerorum principia, formarum esse principia dicebat, vnum autem omnium. Præterea formas, aliarum rerum esse principia: formarum autem quæ numeri sunt, principia esse ipsius numeri principia. Tum numeri vnitatem & dualitatem principia esse confirmabat. Nam cum sit in numeris vnum & non vnum, quod est plura & pauca: quod primum in ipsis est non vnum, id multorum & paucorum principium esse dicebat. Primum autem non vnum, est dualitas, quæ in se multum continet, atque paucum. Nam duplum multum est, dimidium vero paucum: quæ in dualitate insunt. Est autem dualitas vni opposita, si quidem illud est indiuiduum, hæc autem diuisa. Præterea putans se demonstrare æquale & inæquale principia esse omnium tum per se existentium, tum his oppositorum (nihil enim relinquit inexpertum, ut ad simplicissimum omnia referat) æquale refert ad vnitatem, inæquale vero ad excessum & defectum. Inæqualitas enim in duobus inest, id est in

magno & paruo, quæ sunt excedens & deficiens. quam ob rem ipsam dualitatem indefinitum appellabat, quod neutrum ipsorum, neq; superas neq; superatum, quatenus est tale, determinatum esset, sed indeterminatū & infinitum. Cæterum dualitatem indefinitam, vno terminatam, fieri dualitatem, quæ in numeris habetur. Dualitas enim huiusmodi est vnum specie. Præterea dualitas primus est numerus. Huius vero principia sunt excedens & excessum, quoniam in prima dualitate est duplum & dimidium. duplum autem & dimidium est excedens & excessum: quo fit, vt hæc sint elementa dupli. Et quia excedens & excessum determinata duplum & dimidium efficiuntur, (neq; enim amplius hæc sunt indeterminata, nō magis quàm triplum tertiumq; vel quadruplum & quartum, aut aliorum quodq; habentium iam excessum determinatum, hoc autem facit vnus natura, vnum quodq; enim quatenus hoc aliquid est, determinatū habetur) idcirco vnū, & magnū atq; paruum, dualitatis, quæ in numeris habetur, elementum esse videtur, at primus numerus est dualitas, hæc ergo sunt dualitatis elementa. Atque ob talia quidem Plato vnum & dualitatem, & numerorum & omnium rerum principia esse statuebat, vt Aristoteles refert in quæstione de bono. Nunc autem dicit Platonem ideo fecisse dualitatem, quæ est de numero principiorū, alteram esse naturam, quia numeri præter primos apte ex ipsa generentur, quasi ex quodam sigillo, idq; quoniam dualitas cuiuscq; adderetur, huius diuidens illi esse videbatur. quapropter ipsam bisectionem nuncupat, bis enim eorū quodq; efficiens quibus additur, diuidit quodammodo ipsum, nec sinit manere id quod erat: quæ quidem diuisio generatio est numerorum. Vt vero sigilla & formæ quibuscunq; imprimuntur, ea reddunt sibi similia, sic dualitas ceu sit quoddam sigillum, numeros qui post ipsam sunt generat, duo duplumq; efficiens, cuiuscunq; apposita fuerit. Addita enim vni efficit duo, quia bis vnum est duo, duobus quatuor, tribus sex. bis enim tria sunt sex. similis est cæterorum ratio. Illud autem, Præter primos, sic intelligitur, id est, præter impares. Neq; enim ad hunc modum impares numeri generantur, quippe qui non efficiuntur per duplicationem aut bipartitam diuisionē. Nunc igitur primos numeros simpliciter appellauit omnes numeros impares. hi enim priores q̄ pares esse conlucuerunt. Primi vero numeri simpliciter, dicuntur, qui sola vnitatem mēsurantur: vt tria, quinque, septem: quanq; dualitas quoq; huiusmodi esse potest: ad alios vero relati, qui cum mensuram communem vnitatem solam habeant, separatim tamen ab aliquo numero mensurantur, quales inter se sunt octo & nouē, quorum cum sola vnitatem mensura communis sit, vterque tamen aliquem numerū habet mēsuram, id est, octo habet duo, & quatuor, nouē autē tria. Sed hoc in loco primos appellat omnes numeros impares, quia priores sunt, quàm pares: nullus enim ipsorum ad modum supra dictū a dualitate generatur. siquidem addita vnitatem cuiq; numero pari, impares numeri generantur. Additur autē vnitatem & vnum vt principium. hoc enim constituit speciem, nec subijcitur vt materia. Cæterum vt magnum & paruum vno definita, dualitas esse dicebantur, sic vtrūq; illorum vno terminatum, vnitatem ipsius vocat. Præter primos ergo dixit, id est, præter simpliciter primos. hi porro sunt, qui sola vnitatem mensurantur, vt tria, quinque, septem, quos solos ait a dualitate non generari. Omnes enim alij a primis generantur, numero super numerū addito. Ita quoniam ipsorum generatio est ex duobus numeris, ex dualitate effici videntur: ac vicissim numeri simpliciter primi, quia non ad hunc modum gignuntur, ex dualitate generari negantur.

Dualitas, primus est numerus.

Primi numeri qui dicuntur.

Fit tamen id ipsum e contra. non enim ita fieri consonum est rationi. nam illi quidem ex materia multa faciunt, & semel illis solum generat forma. at vna quidem ex materia, vna fieri mensa videtur. Qui vero affert formam vnus, multas facit, vt patet. Similiter sese habet & mas ad fœmellam. fœmella nanq; vno coitu grauida fit, mas autem multas grauidas facit. & tamen hæc principiorum illorum sunt imitationes. Plato igitur de his quæ quærentur, hoc pacto determinauit.

44 Fit tamen ipsum contra. non enim ita fieri consentaneum est rationi. Præfatus indefinitam dualitatem per Platonem esse principium, vt materiam, eiq; dualitatem materiale principium videri, cum addidisset infinitam esse sua natura, & multitudinis efficientem, refellit hac in parte opinionem, vt quæ parum constantia sensibus, vsuque rerum exploratis præcipiat. Nam dualitatem materiale principium esse statuentes, ipsam multorum genitricem faciunt, cum per ipsos eademmet dualitas multitudinem atq; adeo pares omnes numeros generet alios dum ipsis apponitur, atq; ita generat alios bipartito diuidendo. Principium vero formale per eosdem vnus est efficiens, quoniam omnis forma determinata & definita secundum esse, aliquid vnum est: quia numerorum quisq; vnum quoddam est, cum ipsum vnū sit quoddam vnitium, dualitas autem indefinita bisectionum. at non sic vsu venit in rebus efficiendis, quæ illis assimilantur, quæq; habent esse ad illorum similitudinem, sed ediuerso. Materia enim vna numero, vnus cuiuspiam formæ receptrix est, & generatrix. Neq; enim in eadem materia numero plures formæ simul inesse valent, vt vnū lignum sit lectus, & idem mensa, idemq; scamnum: sed vna materia vnā quampiam formam actu solam habet. At forma licet vna numero sit, complures tamen formas efficit. Ars enim quæ vna forma quædam est, & artifex qui vnus est numero, complura tamen ac diuersa opera facit. ars quippe lignaria, eiusq; artifex lectū facit, & scabellum ac mensam, qui tamen idem vnusq; numero est: quod in mare ac fœmina perinde efficit.

Eidē materiæ plures numero formæ non insunt.

Forma vna numero plures formas

fese habet, quorum foemina, quæ foetui materiam præbet, vno coitu impletur, mas autem multas foeminas implet. Plato igitur de ijs quæ quærentur, ad hunc modum statuit. Quæritur autem principia causarum rerum. De principijs igitur hæc a Platone tradita sunt.

Patet autem ex dictis, ipsum duabus solum causis vti, ipso inquam quid est, atque materia. ipsius enim quid est, cæteris quidem formæ sunt causæ, formis autem vnum.

Patet autem ex dictis ipsum duabus solū causis fuisse vsum. Ex quatuor causis quas explicat ipse, 45 duabus Platonē vsum fuisse refert, id est materiali, & formali. formæ namque & ideæ sunt per ipsum formarum efficientes, vt ipsis rursus formis & ideis vnum causa est formæ. dualitas enim in ipsis materiæ rationem habet. quæ in quibusdam exemplaribus ita scriptū reperitur. Ipsius enim quid est, cæteris quidem formæ sunt causæ, scientibus autem vnum, & formæ materia. vt cæteros eos esse intelligamus, qui ignorāt Platonem sensisse vnum & subiectam materiam principia esse, & ipsum vnum causam esse ideæ ipsius quid est. sed prior scriptura castigatior habetur, quæ declarat formas cæteris rebus causam esse ipsius quid est, formis autem ipsum vnum. Et quidem illam lectionem vestigatorem esse, auctor est Haspalius, sed postea mutatam fuisse ab Eudoro & Harmosto.

Et quænam est ipsa subiecta materia, qua deducuntur in sensibilibus quidē formæ, in formis autem vnum. est enim dualitas, magnum inquam ac paruum.

Materia subiecta. Et quænam est ipsa subiecta materia de qua formæ. Præfatus Platonem duabus causis vsum fuisse, postquam meminit causæ formalis, & quomodo hæc sit causa docuit, adducit secundā, & hæc ait esse materialem. Est enim quædam materia subiecta, de qua formæ tum in sensibilibus tum in ideis per ipsum dicuntur. Itaque cum dixisset, Formas ipsius quid est, cæteris rebus esse causas, formis autem vnum, locutus scilicet de hac quæ a prædictis in specie constituitur, eius quæ in vtrisque habetur, meminit, dicens, de qua formæ partim in ipsis sensibilibus, partim in ideis dicuntur. quali dicat, de qua formæ quædam in sensibilibus, quædam in ideis dicuntur. dicitur enim & in his & in sensibilibus esse quædam subiecta materia, de qua formæ dicuntur, id est, quæ in specie seu forma constituitur. Est enim hæc dualitas. Qualis sit hæc dualitas, per subiecta verba declarat. Nō scilicet determinata, nec quæ in numeris habetur, sed indefinita. talis est enim magnum & paruum. Quamquam aliter legitur ad hunc modum. De qua dicuntur in sensibilibus quidē formæ, in formis autē vnum) & tunc intellectus hic esset, de qua materia formæ & existunt & dicuntur in sensibilibus. nam formæ sensibilibus in hac materia sunt, vnum autem in formis & ideis. Materia enim quæ in his habetur, ab ipso vno informatur. Sed quærat aliquis, Cum Plato causam efficiētē dixerit in eo loco ubi ait, operæ precium est igitur effectorem ac patrem vniuersi inuenire ac demonstrare: nec cuius causa, & finem prætermiserit, vbi rursus dixit. Penes omnium regem cuncta sunt, & omnia illius causa: cur Aristoteles nullius harum causarum mentionē in Platonica opinione fecit? Vtrum quia Plato cum de causis loqueretur, hanc vtranque reticuit, vt docuit Aristoteles in libro de bono? An quia nascentium & intereuntium has causas non ponit, neque de ipsis accuratius edisserit? Sed postquam docuit causam materialem a quibusdam corpoream, ab alijs corporis expertem cōstitui, eorum qui in corpoream esse dixerunt, Platonem primum commemorat, qui magnum & paruum dixit, & Pythagoricos qui infinitum assererent, per ipsum esse dicentes. At Leucippum & Democritum silentio præterit, qui corpus & incorporeum, hoc est inane, materiam esse tradebant. Quamquam de his superius mentionem fecit: sed nec Anaximandri sententiam omisit, qui naturā aeris ignisque mediam, vel aeris, & aquæ, nam vtranque traditum est, materiam esse asseuerabat.

Præterea boni malique causam elementis vtrisque vtranque reddidit: quod quidem & priorum quosdam philosophantium, Empedoclem inquam, ac Anaxagoram diximus quæsiuisse. Breuibus igitur summatisque narrauimus, quinā, & quo pacto de principijs veritateque dixerunt. Verūtamen tantum ex his habemus, neminē inquam de principio causaque dicentium, præter ea quæ in hisce quæ de natura sunt a nobis determinata, dixisse, sed omnes obscure quidem, illa tamen tetigisse videri. Quidam enim vt materiam principium dicunt, siue vnum, siue plura supponant, & siue corpus, siue incorporeum id ipsum ponant, veluti Plato quidem magnum dicens ac paruum, Italici autem infinitum, Empedocles vero ignē, terram, aerem, atque aquam, & Anaxagoras eorum quæ sunt similium partium, infinitionem. Hi igitur omnes talem causam tetigerunt, & insuper qui aerem, aut ignem, aut aquam, aut igne quidem densius, aere vero subtilius posuere. Sunt enim qui primum elementum tale esse dixerunt, atque hi solum hanc causam tetigere. Quidam autem & eam vnde est principium motus, vt qui concordiam, discordiamve, vel mentem, vel cupidinem, principium faciunt.

47 Præterea boni maliq; causam elementis suâ cuiq; reddidit.) Hoc quoq; de Platone refert, quod causam bene & male, id est, bonorum & malorū causam elementis tribuerit, cuiq; suam, boni scilicet causam vni, hoc est enim quod ipsum definit, & in specie aut forma constituit: mali vero indefinitæ dualitati, quippe quæ per ipsum, multitudinis & inæqualitatis, ac omnino infinitatis, quæ in rebus habetur, est causa. Sed postquâ Platonem retulit de causa efficiente disseruisse, vtriq; enim elemento causam efficientem retulisse, id est, vni causam boni, dualitati indefinitæ causam mali, admonet nos quosdam etiam ante hunc causam huiusmodi inuestigasse, deq; ea disseruisse, dum ait. Quod quidē & priorū quosdam philosophantiū, Empedoclem inquā & Anaxagoram diximus quæsiuisse, quorum Empedocles non solū boni, sed mali etiā causa vsus est per efficientis causæ participationem, vt de Platone docuit. Anaxagoras vero tum boni tum etiā mali efficientē causam mentem esse statuebat. Breuiter igitur summamq; strictim se ac summam perstrinxisse ait qui auctores ante ipsum de principijs disseruissent, & quomodo. Veritateq;.) Contēplatricē philosophiā more suo Aristoteles veritatē appellat. Veruntamen ex his habemus.) Dicit se idcirco quæstionē principiorum repetisse, vt doceret nullū esse causæ modum, qui non cadat in quēpiam ex quatuor in auditu physico demonstratis: quod hinc licet intelligere, quia omnes qui de causis loquuti sunt, aliquam ex his causis cōmemorarunt, qui licet neq; dilucide, neq; distincte, sed obscure potius & implicite disseruerint, illas tamē quoquo modo attingisse videntur. Nā in primo libro de physico auditu accuratius de quatuor causis disputatum esse, in promptu est intelligere, si cui locū libeat considerare. quocirca dixit, In his quæ de natura sunt a nobis determinata. Vtq; ostendat nullam causam præter memoratas in auscultatione physica a prioribus fuisse tactam, ait. Quidā enim vt materiam principii dicunt. Eorū qui causam materialē ponebant, alios vnam posuisse ait, alios plures. Item quosdā corpus, alios incorporeum. quo in loco Platonem primū refert ex ijs qui materiam incorpoream ponebant, qui magnū & paruum materiam esse dicebat. deinde Pythagoricos qui infinitū. hoc autem erat par, quippe qui numerus ipsis erat pro materia. Nam impar numerus finitus his habebatur, & formæ obtinens locū. Anaxagoras, eorū quæ sunt, similitum partiū infinitionē.) Hic ex eorū numero fuit, qui principii materiale corpus esse statuebant, vt qui deinceps cōmemorantur. At Leucippi & Democriti sententiam reticet, quibus placebat corpus & incorporeum materiā esse, inane videlicet & corpus. Cæterum de his supra est habitus sermo. Huic porro historiæ sententiā adijcit Anaximandri, qui naturā aeris ignisq; mediam principii esse statuebat. Hi ergo talem causam tetigerunt solum. de his fortasse loquitur, de quibus postea meminit, cum ait, Et insuper qui aerem, aut ignē, aut aquam, aut igne quidē densius, aere vero subtilius posuerunt. Nam his priores non solam causam materialem posuerunt, non Anaxagoras, non Pythagorei, non deniq; Plato. Adijcit autem quosdam alios meminisse eius, vnde principium motus, quæ quidem est efficiens: quorum esse ait qui amicitiam & discordiam asseriebant, vt Empedocles: vel mentem, vt Anaxagoras: vel amorem, vt Parmenides & Hesiodus.

Veritas Aristoteli philosophia contēplatrix dicitur.

Quiditatem vero, substantiamve dilucide quidem nemo reddidit: maxime vero ii dicunt, qui formas ponunt. Neq; enim vt materiam sensibilem, neq; vt causam vnde est principium motus, formas ipsas, & ea quæ sunt in formis, esse existimant. Immobilitatis enim causam magis, & vt res sint in quiete, formas inquirunt esse. Sed quiditatem formæ quidem cæterorum cuiq; præstant, ipsum autem vnum formis.

48 Quiditatem vero & substantiā dilucide quidem nemo reddidit.) Præfatus Anaxagoram & Empedoclem præter causam materialem, efficientis quoq; mentionē fecisse, ijs qui causæ efficientis meminissent, eos quoq; annumerat, qui amorem in causis posuerunt. At hi causam potius finalem amorem posuisse videri possunt. huiusmodi enim est ipsum appetendū. At si isti dixissent quid desiderans amor faceret, quæ facit, finalis causæ meminisse videri possent, nunc in principijs amore vt efficiente solum vtentes, & cuius gratia reticentes, principij finalis non meminisse videntur. Porro Platonem causæ formalis mentionē fecisse ostendit, quoniam ideæ quæ per ipsum causæ sunt & principia, non sunt causæ vt materia, cum in sensibilibus non habeantur. Dicit autem ea quæ sunt in formis, id est formarum principia (neque enim hæc sensibilibus sunt materia, sed ipsa sunt formarum elementa) in ideis esse vt elementa, quippe cū elementa non de sola materia dicantur. discordia enim & amicitia per Empedocle elementa sunt, & in elementis habentur, non tamen vt materia. Sed neq; ideæ sunt vt causæ efficientes. Nam efficientis munus est mouere. ideæ vero per ipsum status potius & immobilitatis cæteris sunt causæ. Sed ijs quæ ad ipsarum exemplar efficiuntur; formæ ac quiditatis efficientes esse possunt. Quæ admodum igitur vnum ipsis ideis, sic ipsæ cæteris sunt causæ formæ, ita demum, vt hæc ad similitudinem illarum in specie constituentur, prorsus vt quæ ad idearū exemplar & sunt, & fiunt, ideis sint specie similes.

Ideæ, immobilitatis cæteris causæ sunt.

Id vero gratia cuius actiones, mutationes, motusq; fiunt, aliquo quidem modo causam esse dicunt, sic autem non dicunt, nec eo modo quo sua natura flagitat. Qui nanq; mentem aut concordiam dicunt, vt bonum quidem hæc causas ponunt, non tamē vt

horum gratia quicquam sit eorum quæ sunt, aut fiat, sed ut ab his horum profluat motus. Similiter & ii qui & id quod est, aut ipsum vnum talem naturam inquirunt esse, causam quidem illud esse substantiæ, non tamen huiusce gratia esse vel fieri dicunt. Quare partim dicunt, partim non dicunt ipsum bonum causam esse. non enim simpliciter, sed per accidens dicunt. Omnes igitur hi testari videntur, recte de causis quot & quales sunt a nobis esse determinatum, quippe cum nullam aliam causam tangere possint. & insuper patet quærenda esse principia, aut sic omnia, aut horum aliquem modum. Post hæc autem pertractemus oportet, quomodo quisque horum dixit, & quænam de principiis ipsis dubitationes emergunt.

Causa finalis, ipsum bonum.

Id vero gratia cuius actiones & mutationes motusque sunt.) De causa finali loquitur. hæc enim est ipsum bonum & causa rerum quasi finis, docetque neminem priorum de hac causa proprie differuisse. Nam etsi bonum causam esse quodammodo dicunt, non tamen ut finem, & quali huius gratia cætera fiant, quemadmodum bonum causa esse est idoneum, sed ipso vel ut causa efficiente utitur. Anaxagoras enim qui mentem afferebat, & Empedocles, qui amicitiam, hæc bona esse statuebant, & bonorum efficientes causas, non tamen res ipsorum gratia fieri, sed hæc ipsa bonorum efficientia sunt per istos. Similique ratione eos differuisse ait, qui vnum & idem principia esse tradebant. sed eosdem fortasse intelligit etiam vnum dixisse. Plato enim & vnum & ens dicebat, cum diceret vnum & ideam, cum hæc proprie sint entia. Neque enim horum gratia res efficiuntur, sed hæc alijs rebus causæ sunt esse suppeditantes: hoc enim est formæ causa, nec cætera per istos huius gratia sunt, & fiunt. Ergo inter causas boni meminerunt, sed quodammodo reliquerunt ipsum, quia proprium eius locum non tuerentur, sed ex accidenti ait ipsos mentionem causæ ut boni facere, quia esse causam ut bonum est, cætera fieri huius gratia. Qui ergo ei quod dicunt, hunc ordinem in causis non seruant, ij non quatenus est bonum ipsum causam faciunt, sed cui accidit bonum esse, id causam efficientem esse statuunt.

Quæstio.

Sed quærat aliquis, si Plato in epistolis dicit, penes omnium regem cuncta, & huius gratia omnia sunt, quomodo his verbis non dicit bonum esse causam ut finem? aut si dicit, quomodo Aristoteles dicere negat? an separatim in calce huius libri idem Aristoteles fatetur, cum sic scribit. Ex his igitur

Responsio.

quæ prius dicta sunt, patet, eas vniuersos videri causas quærere, quanuis obscure, quas nos in natura libus diximus, nullamque aliam præter illas nos dicere posse. Atque prius partim omnes, partim nullo modo dictas fuisse. Prima namque philosophia recens nata, & adhuc in principiis subsistens, balbutire de rebus omnibus videtur. Omnes igitur hi testari videntur recte de causis esse determinatum.) Ex hac commemoratione eorum quæ de causis dicta sunt, satis patere ait, recte se quot & quæ causæ sint, statuisse, quas tales esse testimonio est quod priores nullum aliud genus causæ meminisse potuerunt. Et insuper patet quærenda esse principia, aut sic omnia.) Hoc quoque ex dictis intelligi ait, quærendum esse de principiis, vel de omnibus a nobis expositis quadripartita diuisione causæ. Illius autem, Aut sic, hic est intellectus. vel sic principia omnia quærere oportet, vel ex his quatuor aliquod. Nam licet doctrina hæc non omnium causarum rationem poscat, modus tamen qui quæritur causæ, in quatuor ipse quoque continetur, nec abhorret ab huiusmodi causis, cum præter hæc causarum genera nullum aliud esse intelligatur. Cæterum in primis explicaturum se proficitur, quomodo eorum quos supra commemorauit quisque præceperit, & quæ ex singulis opinionibus quæstiones existant.

Patet igitur eos omnes qui vnum vniuersum ipsum, vnamque naturam ut materiam esse ponunt, atque hanc corpoream, magnitudinemque habentem, multis modis peccare. Corporum enim elementa tantummodo ponunt, incorporeorum vero non ponunt, quæ quidem & ipsa sunt, atque causas generationis corruptionisque dicere aggredientes, & de vniuersis naturaliter loquentes, motus principium tollunt, præterea substantiam, & ipsum quid est, nullius rei causam esse ponunt. Et insuper facile quoduis simplicium corporum præter terram principium esse dicunt, non considerantes quonam pacto mutuum ipsorum faciunt ortum, ignis inquam, aeris, aquæ, ac terræ. alia namque congregatione, alia disgregatione ex sese mutuo fiunt. hoc autem ad id ipsum, ut quippiam sit prius posteriusve, plurimum refert. Aliqua namque ratione id omnium maxime elementum esse videtur, ex quo primo congregatione elementa fiunt, tale autem est id quod minimarum est partium, corporumque; etiam subtilissimum est. Quapropter qui principium ignem ponunt, consentanea maxime huic dicerent rationi: tale autem & cæterorum quisque, cæterorum corporum elementum esse fatetur. Nemo namque eorum qui vnum dicunt, terram elementum censuit esse ob magnitudinem partium, uti patet. Trium autem elementorum quodque iudicem aliquem habuit. Quidam enim ignem, quidam aquam, quidam aerem,

id inquit esse. Atenim curnam & terram non dicunt, vt plerique hominum opinantur? Cuncta nanq; terram inquit esse. Hesiodus quoq; terram ortam esse primam corporum ait. Adeo vetusta, adeo vulgaris hæc existimatio fuit. Hac igitur ratione neq; si quis horum aliquid dicat præter ignem, neq; si quis aere quidem densius, aqua vero subtilius id ponat, recte dicere potest. Quod si id quod ortu posterius est, natura est prius, id autem quod est digestum atq; congestum, posterius est generatione: contrarium his conuenit sane. Nam aqua quidem aere prior erit, terra autem aqua.

50 Patet igitur eos omnes qui vnum vniuersum, vnamq; naturam vt materiam esse ponunt, atque hæc corpoream, magnitudinemq; habentem, multis modis peccare. Quomodo isti vniuersum vnum esse dixerint, ipse declarat cum ait, Et vnam quandam naturam vt materiam esse ponunt, & hanc materialem. Sic enim vnum, quasi ex vno. Cæterum connumeratis veterum de principijs & causis sententijs, differens quid pro sanis dixerint, quidve secus, ab istis sermonis initium capit, qui principium vnum idemq; corpus esse statuebat, eosq; multa peccasse confirmat. Primum, quia volentes omnium rerum principia exponere, corporum tantum principia reddunt, cum tamen rerum non nullæ habeantur incorporeæ: quippe fieri non potest, vt incorporei corpus principium sit. Deinde quia generationem inducentes, generandarum tamē & mouendarum rerum causam auctoremque præmittunt. Neq; enim materiæ a se ipsa suppetit vt moueatur. Illud autem, Atque de generatione dictum est pro hoc, atq; generationis & interitus causas dicere aggredientes. Et de vniuersis naturaliter loquentes. id est, de vniuersis rebus, quarum maxima pars mouetur. Motus causam. id est, causam afferentem motum omiserunt, tum quia formam nullius causam esse statuerunt, cum tamē res omnes, vt sint id quod sunt, ab ipsa forma mutuētur, quandoquidē inter se secundum materiam nullo discrimine distent, cum materia eadem sit in rebus omnibus. Et quidem merito formam appellauit substantiam. A forma enim vnicuiq; suppetit esse. Quartum peccatū istorum est, quod ex primis corporibus temere, quod ipsis videbatur, principium esse statuebant: quod fieri nō posse, docuit in posteriore libro de Generatione, & ipse innuit se differuisse in libris de Natura, significans hoc modo totam doctrinam naturalem. Nam siue quatuor corpora, siue quædam ex his principia sunt, seu deniq; vnum ipsorum quoduis nimirū, vel prima corpora, alterum ex altero non fient, vt sint immortalia, aut si & mutua generatione facta maneant quæ sunt, simul erunt & opposita in quæ mutantur, & sic res contrarijs nominibus appellabitur, verbi gratia ignis & aqua. Aut si sic effecta non perstiterint, abolebuntur nimirū, ac proinde principium interibit, quod est absurdum, cum sit principium, ex quo primo res efficitur, & in quod vltimū abit, ipsum vero ex nullo efficitur: quanquam huius peccati quod istorū sententiam sequitur, hoc in loco mentionem præterit, illud infectas, quod temere atq; leuiter, nec dispicientes quomodo simplicia corpora alterū ex altero generentur, statuebant ex tribus corporibus simplicibus vnum aliquid esse cæterorum elementū. Nam excepta terra alterum quodq; elementū esse ab aliquibus dictū est. Hoc autem est quod his vitio dat, quod oportebat non ex modo mutua ipsorum generationis accipere ex ipsis primū & principium, quoniam alterum ex altero generari, commune omnibus est, neq; hac ratione alterum altero prius aut posterius habetur, quod isti non præstiterunt. Simulq; docet discrimen mutua generationis elementorū dicens. Alia nanque discretione fiunt ex alteris, ex quibus licet prius & posterius accipere: alia concretione. Quibus dictis docet secundum ipsos generationis modos quadam ratione consideratos, videri posse corporum id esse primū, ex quo primo cætera concretione generantur, cuiusmodi esse intelligitur id quod minimis partibus & tenuissimum est: quare qui hac ratione ignem elementum esse statuerunt, non temere ij loquuti esse videri possunt. Nam eorum qui non ignem, sed aliud quoddam corpus elementum esse statuunt, quisq; fatetur huiusmodi esse oportere corporum elementū: quo factum est, vt nemo ipsorum solam terram elementum esse censuerit, vt quæ cætera partium magnitudine vincat. Hæc præfatus quærit cur nulla ratione terra debeat aliorum elementū esse, vt vulgo mortales putant, atq; adeo Hesiodus existimauit, qui hanc primam post chaos genitam esse tradidit, sententiam suam vulgi testimonio confirmans. Sed fortasse de terra dicit, nisi priores ad modū generationis spectantes, illa esse elementa rebantur. Cur non terram quoque ipsam, vt homines communiter opinantur, elementum esse dicebant. quibus dictis redit ad id quod dixerat, elementū videri id quod tenuissimis est partibus: docetq; secundum hanc sententiam, qui præter ignem quodpiam aliud corpus elementum esse statuebant, siue de horū quatuor numero, siue mediū corpus inter ignem & aerem, horum neminem recte dicere. Deinde subiungit, qua rursus ratione possit terra putari elementum, dicens, Quod si id quod ortu posterius est, natura est prius. sensus enim est, quod est perfectius, prius est natura imperfectiore, quanquā posterius generatione efficiatur. Imperfectius vero quod tempore præexistit, vt fundamentum, imperfectius est domo, puer viro. Hac igitur inquit ratione qui crassiora corporum elementa esse statuunt, rectius sentire videbuntur, quoniam hæc magis concocta magisq; perfecta videntur, quā quæ simpliciora, subtiliora & priora generatione sunt. ex his enim mutatio in crassiora fit. quare si quod est prius, id principium est, nimirum quod natura & substantia prius est, potius quàm quod generatione præcedit, principium fuerit. Nam si quod prius

Principiū
non est
corpus.

Materia
eadē est in
reb⁹ oibus.

Principiū
quid.

Terra cur
non sit pu-
tata solare-
rū esse prin-
cipium.

est generatione, id posterius est natura, profecto quod posterius generatione est, id prius natura fuerit. terra autem per eos qui concretionem res putant generari, posterior est. hæc igitur potius principium fuerit, ex qua cæterorum generatio concretionem magis efficitur.

De his igitur hæc sint dicta, qui causam unam, qualem diximus, ponunt. Eadem dici possunt & si quispiam hæc plura ponat, ut Empedocles materiam quatuor corpora dixit esse. etenim huic partim eadem, partim propria convenire necesse est. nam hæc vicissim ex sese generari videmus, non igne, non aere, non terra semper eodem tempore permanente. Dictum est autem de his, in hisce quæ de natura sunt dicta. De causa quoque eorum quæ mouentur, utrum una sit, an duæ ponendæ, neque recte, neque bona cum ratione penitus putandum est esse dictum. Omnino etiam eorum sententia qui ita dicunt, alterationem e medio tolli necesse est. non enim ex calido frigidum, neque ex frigido calidum erit. Quid enim ipsa contraria patientur, & quænam erit una natura, quæ sit ignis & aqua? quod quidem ille non dicit.

Non esse
plura prin-
cipia cor-
porea.

Empedo-
clis opinio
de princi-
pijs confu-
tatur.

De his igitur qui causam unam ponunt) Explicatis quæ dici possunt in eos qui unum idemque corporum principium esse statuebant, in eodem errore versari ait, si quis hæc plura esse putaverit, hoc est si quis plura principia corporea esse dixerit. Aut fortasse non eos simpliciter designat, qui principia & corporea & plura esse dicebant, sed eos qui non unum ex his quatuor corporibus, sed plura principia esse asseriebant, quorum corporum unum aliquod principium esse a prædictis putabatur. Empedocles enim mentionem facit, qui quatuor corpora rerum materiam esse censebat. Etenim huic partim eadem, partim propria convenire necesse est. Empedoclem, ut dicebam, insectans, huic quoque absurda evenire docet, etsi quatuor corpora principia esse dicit partim eadem, quæ asserentibus unum ex ipsis esse principium, partim diversa & peculiariora. Eadem, quia sequitur hæc alterum ex altero generari, nec eadem numero persistere, quod tamen proprium est elementi. Est enim consentaneum ijs qui unum aliquod corporum elementum & materiam esse tradunt, ut intereat quod quisque supponit elementum. Quamquam de his pluribus egit in tertio libro de cælo, quorum ut nos admoneret, dixit. Dictum est autem de his in hisce quæ de natura dicta sunt. Aut enim non efficiuntur alterum ex altero, si numero sempiterna sint, cum tamen effici conspiciantur, aut erunt in eodem simul opposita. Illud quoque istorum sententiæ consentaneum est, substantiam & formam non esse de numero causarum, qui utrorumque communis est error. Peculiariter autem Empedocles in mentionem motuum principiorum, hoc est amicitia ac discordia, labitur. Neque enim satis liquet, duone, an unum has esse principium per ipsum sit statuendum, quandoquidem amicitia discordia muneribus fungi videtur, cum quæ per se tota sunt, dissociet, discernatque, ut concernat efficiatque corpus unum. quin & discordia per ipsum non solum discernit, sed quæ similia inter se sunt, concernit, cogitque eadem ex unitate seiungens, prorsus ut neutrum altero magis sit per ipsum oppositorum efficiens. quamquam nescio an rectius sit, quod in quibusdam exemplaribus legitur ad hunc modum, neque penitus absque ratione, ut sit sensus. Neque recte prorsus, nec penitus absque ratione.

Anaxagoram autem si quispiam elementa dicere duo putaverit, ea maxime ratione putaverit, quæ etsi ille non dilucide pertractavit, sequutus tamen fuisset, si qui ipsam adducerent. nam quamquam & aliter absurdum est, mixta in principio cuncta fuisse dicere, & quia accidit antea non mixta esse oportere, & quia non aptum est quoduis cum quovis misceri, ac insuper quia fit, ut affectus & accidentia a substantia separentur, eorumdem enim mixtio & separatio est, si quis vero quæ dicere vult, exactius pertractans sequatur, admirabilius dicere fortasse videbitur. Nam cum nihil segregatum erat, nihil tum, ut patet, de substantia illa dicere vere licebat: veluti neque album, neque nigrum, neque fuscum, neque ullum alium colorem, sed necessario erat incoloratum. aliquem enim colorum horum haberet. similiter & insipidum. eademque ratione neque aliud similitum quicquam. neque enim quale quid ipsum poterat, neque quantum, neque quid esse. aliqua namque particularium formarum ipsi inesset, hoc autem est impossibile, si erant omnia mixta. segregata enim iam essent. At ille dixit mixta esse omnia præter mentem, hanc vero solam non mixtam esse, atque sinceram. ex his igitur fit, ut ipse principia dicat unum ipsum. hoc est enim simplex atque non mixtum, & alterum quale ponimus indefinitum, antea quam definiatur, & alicuius sit particeps formæ. Quare neque recte quidem, neque dilucide dicit, vult tamen aliquid hisce simile dicere, quæ posteriores dixerunt, & quæ nunc magis apparent.

52 Anaxagoram autem si quispiam elemēta duo dicere putauerit.) Posthac Anaxagoræ refert opinio-
 nionem, refutans vt absurda quæ ab ipso palam & aperte dici videntur. Ac per absurditatem eorum
 quæ dici videntur, alia ipsum per illa dicere voluisse docet, fauens scilicet eius sermoni, & eius vt ipse
 ait, explicans voluntatem. Nam cum Anaxagoras dicat omnia in omnibus esse commista, ipse ma-
 teriam illum somniare colligit, quæ potentia quidem cuncta, actu vero nihil est eorum, quæ esse po-
 test. Nam hæc licet ille non dicat aperte, tamen eius sententiæ consentanea sunt, si quis eam ad eius
 mentē explicuerit. hæc enim ratione innituntur. quæ vero ab ipso dici videntur, prorsus aliena sunt.
 Nam quanq̄ & aliter absurdum est) id est, quoniam absurdum dictu est, omnia in omnibus esse mi-
 sta, tum quia oportet, vt hæc ante misionem immista præfuerint, nam quæ inter se miscentur, ea vt
 separata misceantur necessum est, & sic mistio non fuerit prima, tum quia non quæuis res naturalē
 obtinet habitudinem, vt cuius misceri valeat. Nam qui fieri potest, vt linea cum albo, aut albū cum
 musica temperetur? Præterea quoniam huic doctrinæ affectiones & accidentia a substantia separari
 ac per se subsistere consentaneum est. Nam quorum existit mistio, horum quoq; habetur separatio.
 Ergo cum hæc misceantur, (sunt enim de numero rerū omnium) poterunt etiam separari. Cum hæc
 ergo dicere alienum sit, nam coniunctio &, vacare videtur, si quis tamen dicta eius sequetur concin-
 nans explicansq; illius mētem, aliquid fortasse, quod plus habeat nouitatis, dicere videbitur, & præ-
 ter cæteros magis proprium. & hoc est forsitan quod initio dixit de Anaxagora, ipsum ætate prio-
 rem esse, re autem posteriore. Docet autem qui eius dicta sequitur, quomodo is ipsa concinnare ex-
 plicareq; valeat. Nam cum nihil segregatum erat, nec per se existebat actu, tunc haud dubie nihil de
 illa substantia & mistura, quæ ab ipso dicitur, vere dicere licebat, non album, non nigrum, non fu-
 scum, non colorem, sed ne saporum quidem vllum, nec aliud quidpiam huiusmodi. Neq; enim verū
 diceret, si quis id vocaret quale, aut quantum, aut aliquam substantiam ex ijs quæ actu sunt. Inesset
 enim aliquid horum separatū & iam actu existens in vocata mistura. quod cum sint omnia mista,
 fieri nequit. tunc enim hoc non esset mistum. Nam præter mentem, quam solam vendicat a mistu-
 ra, & sinceram esse tradit, omnia temperari confirmat. Illud autem, necessario, significat iam esse in
 actu. Ex his igitur fit, vt ipse principia dicat vnum ipsum.) Opinione Anaxagoræ de principijs
 in pauca colligit, cui si quis mentē eius expresserit, consentaneum est vnum principium esse. Mens
 enim quæ per ipsum simplex est, & misionis expers, proportionale vnus videri potest. Et alte-
 rum.) id est indefinitum. huiusmodi enim erat materia antequam determinaretur, informareturq;
 indefinita videlicet, & nihil actu, sed potentia cuncta obtinens, quæ effici valent: cuiusmodi esse mi-
 sturam ille statuebat. Quare neq; recte quidem, neq; dilucide dicit.) Nam licet ita dicat, vt ipse fa-
 uens eius dictis, eū dicere voluisse ait, non tamen recte prorsus edisserit. pro quatuor enim duo prin-
 cipia dicit. Præterea ne sic quidem illum dixisse omnino confirmari potest. Nam similia quæ ha-
 bentur in mistura, non potentia esse, sed actu dicere videtur. Sed neq; horum quidquā aperte tradit.
 Vult tamen aliquid huius simile dicere, quæ posteriores dixerunt.) Platonem designat, qui vnum
 & dualitatem infinitam rerum principia esse statuebat. Et nunc apparentibus magis.) hic verbū
 consentanea desideratur. hæc enim magis sunt sensibus consentanea, quàm quæ dicere videtur.

Anaxago-
 ræ opinio
 cōfutatur.

Atenim hi quidem ad eos solū sermones qui circa generationem, corruptionē, mo-
 tumq; versantur, accommodate dixerunt. fere enim circa talem substantiam solū prin-
 cipia & causas quærunt, eos autem qui de omnibus quidem quæ sunt, contēplationem
 faciunt, ipsorum autem alia sensibilia, alia non sensibilia ponunt, de vtrisque generibus
 cōsiderationem facere patet. Quocirca magis apud ipsos moram quispiam trahet, in-
 quirendo quid bene aut non bene dixerunt, ad eorū quæ nunc proponuntur nobis, con-
 siderationem. Igitur ii qui Pythagorici vocantur, principiis quidem & elementis vltra
 quàm naturales vtuntur, propterea quòd nō ex sensibilibus ipsa sumpserunt. Res enim
 mathematicæ motu vacant, præter eas circa quas astrologia versatur. disserunt tamen
 & tractant omnia de natura, generantq; cælum, & id quod accidit circa partes huius, &
 affectus operaq; conseruant, & principia causasq; in his consumūt, vt consentientes cæ-
 teris naturalibus, atq; quod est, id esse tantum putantes, quod est sensibile, ab eoq; con-
 tinetur, quod cælum appellare solemus. Causas autem atq; principia, vti diximus, suf-
 ficiētia dicunt etiā ad ascendendū ad ea quæ superiora sunt, & magis illis quàm sermo-
 nibus qui de natura fiunt, accommodata, quo tamen modo finito ac infinito solum sup-
 positis, & pare ac impare, motus erit. At quo pacto fieri potest, vt sine motu mutatio-
 neve generatio sit atq; corruptio, aut eorū opera quæ feruntur in cælo, nihil omnino
 dicunt. Præterea si detur etiam ipsis magnitudinem ex hisce cōstare, aut etiā ostenda-
 tur, quonam modo corporum alia leuia, alia graua erunt? Ex his enim quæ supponūt
 ac aiunt, non magis de mathematicis corporibus, quàm sensibilibus dicunt. Quocirca

de igne, vel terra, vel cæteris corporibus talibus, nihil omnino dixerunt, tanquam nihil, vt arbitror, proprium de sensibilibus ipsis dicentes.

At enim hi quidem ad eos solum sermones, qui circa generationem, corruptionem, motumque versantur, accommodate dixerunt. Commemoratis veterum sententijs de principijs, distinctisque, nunc naturales auctores secernit ab ijs qui substantias incorporeas substituebant, quorum doctrina eo nomine damnata, quod non de omni substantia differuissent, nec ea tradidissent, quæ huic doctrinæ conferre possent, transit ad discutiendas Pythagoricorum & Platonis sententias, vt magis huic cõmentationi accommodatas. Hi enim de cunctis rebus differentes, quasdam substantias a natiuis & naturalibus & omnino corporeis sensibilibusque diuersas ponebant. quo fit, vt horum sententiæ discussio ad susceptum negotium vsui maiori sit. Inquisitio enim nobis non de ijs causis suscepta est, quæ neque naturales sunt, neque in motu versantur, sed de intelligibilibus & incorporeis. Igitur ij qui Pythagorici vocantur, principijs quidem & elementis vltioribus quàm naturales vtuntur. Insectatur Pythagoricos, qui naturæ incorporeæ meminisse videntur, quod aliena magis & abiuncta a rebus naturalibus principia ponant, ac vltiora, id est, latius patentia, excedentiaque, & quæ aliarum naturarum principia esse queant, incorporea scilicet ac immobilia. huiusmodi enim sunt numeri. neque enim rebus naturalibus proxima, neque cõmunibus opinionibus & naturalium auctorum sententijs consentanea constantiaque principia ponebant. Nam quæ ab alijs principia statuuntur, magis corporibus naturalibus coherent, & manifestiora sunt. cuius simul causam reddit, quia non conabantur hæc a sensibilibus accipere, sed a mathematicis. Nam cum essent in his versati, ex his, & horum consentanea principia ponebant. hæc porro sunt mathematica, quorum per ipsos numeri principia sunt. at mathematica extra motum omnino, nec naturalia sunt: exceptis ijs, in quibus versatur astrologia, quæ licet scientia mathematica sit, de rebus tamen naturalibus, & quæ motu cientur, edisserit, cum astra, in quibus versatur, naturalia sint, & moueantur. At qui huiusmodi principia ponunt, de nihilo alio, quàm de rebus naturalibus disputant, & hæc ex illis generari tradunt: quippe qui cælum cælique partes ex ijs quæ ponunt principia, generari asserant, quæ principia, vt supra diximus, par & impar sunt: & sic rationem reddunt eorum quæ in ipsis accidunt, id est rerum cælestium, quasi nihil sit aut fiat ex ipsis præter sensibilia & corpora, qua parte naturalibus auctoribus consentiebant, qui præter corpora naturalia, quæque in motu sunt, nihil esse putabant: licet ea principia constituent, quæ incorporarum & plusquam naturalium rerum principia dici possunt, quæque magis illarum rationibus quàm naturalibus congruant. accusantur autem ab ipso, quod ne horum quidem causas abunde reddiderint. Nam motus, quod munus horum proprium esse videtur, quomodo fiat in rebus ipsis, quæ ex huiusmodi principijs & sunt & efficiuntur, non docent, ex finito inquam & infinito: quorum finitum est impar, quod appellauit finem, infinitum autem par. Siquidem numeri immobiles sunt, & nullius motus authores. Sed neque illud docent, posse quæ ex his principijs generant, citra motum & mutationem effici, aut astra suis muneribus sine motu fungi, quæ latrone & motu ipsorum obeuntur. Sunt enim astrorum opera, ortus & occasus, & similia: quæ quomodo sine motu obiri valeant? Astrorum autem argumento, quorum opus per motum efficitur, opinionem deficere apertissime demonstrat. Sed neque illud ostendunt, vtrum sibi concedendum sit, posse ex numeris, & ijs quæ nullam habent distantiam, magnitudines & corpora constitui, quod minime omnium fieri potest. neque hoc posito rationem reddunt vnde corporibus naturalibus naturales propensiones contingant, leuitates, grauitatesque. neque enim hæc facultate talia sunt, vt illi censent quibus materiam quæ corpus aliquod aut corpus facultate sit, subiectum esse placet. Nam quæ de his tradunt, ea non magis corporibus naturalibus, quàm mathematicis congruunt, cum æquabilitates inæquabilitatesque ac figuræ & id genus cetera horum illorumque corporum cõmunia sint. quod si ea quæ corporibus naturalibus qua sunt naturalia priuatim conueniunt, grauitatem, leuitatem, humiditatem, siccitatemque silentio prætereunt, merito de corporibus naturalibus non differuisse videri possunt, quanquam id præstare vellent, & se præstituros profiterentur.

Pythagor
ricorū con
futatio de
principijs.

Mathema
tica.
Astrologia

Astrorum
opera.

Præterea quonam pacto sumere oportet, numeri quidem affectus, ac numerum, causas eorum esse, quæ a principio & nunc in cælo sunt atque fiunt, numerum autem nullum alium esse, præter hunc numerum, ex quo mundus est constitutus? Quando enim hæc quidem in parte sententia ipsorum est opinio atque tempus, parum autem supra vel infra, iniustitia iustitiaque, vel mixtio, idque ita esse demonstrat ex eo, quia vnumquodque istorum numerus est, fitque vt hoc loco iam earum magnitudinum quæ constituuntur, sit similitudo ex eo, quia affectus hi singulos locos sequuntur, est ne idem hic numerus, qui est in cælo, quem accipere oportet quodque istorum esse? an alius præter hunc ipsum? Plato nanque alium esse dicit. atque quanquam & ille numeros, & hæc esse, & horum causas arbitratur, intelligibiles autem causas, hos autem sensibiles esse censet. Sed de Pythagoricis quidem loqui nunc omittamus, satis est enim hos tetigisse.

54 Præterea quoniam pacto sumere oportet, numeri quidem affectiones ac numerum causas eorum esse quæ in cælo fiunt.) Hoc quoque incommodum istorum sententiam sequi demonstrat, quod eorum quæ ab initio & nunc in cælo vel sunt vel fiunt, causas esse putantes numerorum affectiones, ipsosque numeros, (neque enim præter ea quæ in cælo sunt, quidquam esse rebantur) nullos tamen alios numeros esse tradunt & relinquunt præter eos ex quibus mundus ipsorum sententia fuit constitutus. Nam cum causam ab opere causæ diuersam esse deceret, tamen qui mundum, quæque in mundo sunt, numeros esse autumant, & horum principia numeros esse constituunt, ij nullum alium numerum præter hunc esse docebant. Melius Plato, qui numerum formalem, quæ causam esse statuebat, alium esse putabat, quæ qui in sensibilibus haberetur. Nam isti ad hunc modum differentes, numerum ipsum sui causam esse dicere videntur, siquidem vna sit causa eorum, quæ in mundo continentur, & hæc ipse mundus sint. Quando enim hac in parte sententia ipsorum est opinio atque tempus.) His verbis quomodo isti mundum, & quæ in ipso habentur, numeros facerent, ostendit, qui cum semper numeros appellant, & ipsorum causas numeros esse statuerent, alios tamen præter hos nullos assererent, sed ipsos numeros numerorum causas esse dicebant, prorsus, ut horum sententia idem causa sit, & opus causæ, qui vna in parte mundi opinionem, in altera tempus opportunum consistere aiebant. Rursusque in alia paulo supra aut infra hæc iniuriam iudiciumve, aut milituram, aut ex ijs quæ in cælo habentur, quidquam aliud. Horum autem constitutionem, quæ huiusmodi ordine conficitur, demonstrare conabantur: horum enim quodque alicuius numeri esse aiunt, cuiusque autem loco in mundo suum propriumque numerum esse. Medio enim vnum, ut pote quod hic sit primum: post medium vero duo, quæ quidem opinionem & audaciam appellabant. & sic quo magis a medio recederetur, eo fieri numerum eorum quæ constitueretur, ampliorē, quod numeri ex quibus constituuntur, ac potius quibus hæc sunt, huiusmodi sunt. numerorum enim affectiones, ipsosque numeros consentaneos esse locis, qui in cælo habentur, ipsosque proprios, ac idcirco ex his magnitudines accidere. Potest & illud, Accidit autem secundum hunc locum iam magnitudinem esse consistentium numerorum, dixisse propter loca nostratia, quæque in terra sunt, quali in hoc loco idcirco multitudo magnitudinum consistat, quoniam numerus iam in hoc complura sit, quorum plura existentia differentias efficiant, secundum multitudinem magnitudinum. numeros enim, ipsorumque affectiones affectari secundum proprietatem singula loca. vel simplicius communiusque dicere in alio quo loco compluribus ipsas consistentes causas esse & numeros iam plures in hoc loco, ceu rerum multitudo, horum multitudinem consequatur, quoniam res & numeros ipsius, & ipsum in numero mundum efficiunt. Sed utrum, inquit, est hic numerus, qui est in cælo, quem accipere oportet causam esse eorum quæ fiunt in cælo, prorsus ut idem sui causa sit? An alius præter hunc ipsum, qui sit huius causæ? Probabilius est enim alium dicere, ut Plato fecit. Sed de ordine celesti numerorum, quem Pythagorici assererent, meminit in secundo libro de opinione Pythagoreorum. Parum autem supra vel infra iniuria & iudicium, qui res numeros esse dicebant, ij hoc ordine ipsas in cælo collocabant, quem numeros seruare censebant, quos hoc quod res ipsas esse dicebant. Exempli gratia, quem ordinem dualitatem habere rebantur, hunc opinionem in mundo obtinere confirmabant, quoniam his dualitas erat opinio. Rursus quem ordinem numerus septem obtineret, hunc in mundo assignabant tempestiuitati, utique quoniam hunc numerum tempestiuitatem esse censebant. Iniuriam vero exempli gratia vel iudicium paulo supra vel infra tempestiuitatem, quoniam numerorum qui hoc erant quod hæc res, ordo idem haberetur. Sed in quibusdam exemplaribus pro iniuria legitur inuictum, quod a Pythagoricis idcirco quinque appellari tradunt, quoniam in rebus triangulis triquetris, quæ latera primum dicibilia continent, laterum angulum rectum complectentium alterum est trium, alterum quatuor, basis vero quinque. ergo quoniam basis æquiualeat utrique simul, ideo victrix ipsa, latera vero debellata esse dicuntur. ergo numerus quinque inuictum ab istis appellabatur, quasi non superatus, sed inuictus superiorque sit. Cæterum seu inuictum seu iniuria scribendum sit, verborum intellectus perspicuus est. Sed de Pythagoricis, inquit, hactenus, satis est enim hos tetigisse tantum, non amplius discutens istorum opinionem, quoniam nihil in rebus præter naturales reliquerunt. Cæterum licet hæc in parte huic sententiæ finem faciat, tamen de principijs quid senserint, omnem ipsorum sententiam in fine huius operis disputabit.

Mundus quo Pythagorici sit numerus habitus.

Dualitas, opinio. Numerus 7, tempestiuitas.

Numerus 5, inuictum appellabatur.

Qui vero ideas ponunt, primo quidem quærentes harum rerum sumere causas, alia his æqualia numero attulerunt, perinde ac si quispiam numerare volens, pauciora quidem si sint, non posse putet, plura autem a se facta enumeret.

55 Qui vero ideas ponunt, primum quidem quærentes harum rerum sumere causas.) Hoc idearum assertoribus primum vitio dat, quod inuestigantes causas rerum naturalium (has enim significat cum ait, harum rerum) aliorum substantias his numero æquabiles adiungunt, quasi res tanto sint futurae notiores, si eadem plura efficiantur. siquidem excepta æternitate ideas a rebus sibi assimilatis nihilo differre statuebant. quo fit, ut cum hæc ignota sint, illa perinde ignorentur, quæ horum exemplaria esse traduntur. Alia igitur totidem numero similiaque his ponentes, quorum cognitio nem indagabant & scientiam, per hæc illa quæ inquirebant, posse assequi rebantur, ut paulo post

demonstrabit. Vel quod accusat, est, quod volentes entium causas cognoscere, per hæc quærebant ipsorum causas. hoc enim modo harum rerum causas reddere sibi videbantur, simile facientes, ac si quis velit multitudinem numerare, sed quasi illa, si tot sint, numerari nequeant, aliam æqualem numero multitudinem apponat, & sic deinde connumeret. Sed quæstio tunc maxime vim haberet, si multitudinem isti rebus inquirendis non secundum æqualitatem numeri adijcerent, sed secundum similia, ac proinde similiter ignota. Nam formas ab ijs quæ ad ipsas esse habent, nihilo alio per istos differre, quàm sola æternitate, ipse declarabit. esse autem similiter ignota per additionem numeri iam demonstravit. quod autem quæ adijciebant, non sint causæ ijs quæ inquirebant, paulo post docebit. Vel quod reprehendit, est, quod adijcientes totidem fere numero ijs de quibus inquirebant, sic omnium causas inquirebant, & explicabant tum priorum, tum etiam adiectorum. huic enim simile est numeri etiam exemplum.

Pene autem his æquales, aut non pauciores ipsæ sunt formæ. Quorum causas quærentes, ex his ad illas profecti sunt. Est enim per singula quædam eiusdem nominis forma, præterq; substantias cæterorum, quorum est vnum in multis, & in his, & in perpetuis rebus. Deinde nullo eorum modorum esse formæ videntur, per quos ipsas esse ostendimus. Ex quibusdam enim nõ necesse est fieri ratiocinationem, ex quibusdam autem & eorum etiam formæ fiunt, quorum non esse formas censemus.

Pene autem inquit formas his non pauciores esse.) his autem, non singularibus & indiuiduis, sed 65
formis, quæ in ipsis sunt. Neq; enim Socratis aut Platonis, sed hominis equive causas indagabant. his enim numero pene æquales formas esse tradebant. Pene autem fortasse idcirco adiecit, quia nõ omnium communium ideas esse statuebant. Nam neq; artificiosorum, neq; malorum ideas faciebant, quanquam ipsorum doctrinæ, vt horum quoq; ideas esse dicerent, erat consentaneum, vt paulo post declarabit. At non esse ideas pauciores ijs quorum causas inquirentes ad illas processerunt, declarant subiecta verba. Est enim per singula forma quædam æqui-uoca. sed æqui-uocam pro vniuoca dixit, siquidem Plato ad hunc modum illas esse dicebat, quem cuique rerum inquirerum vniuocam formam tribuisse docet, propterea quod formas numero totidem atq; sensibilia esse diceret. Aut æqui-uoca dixit, quoniam vt ab istis traduntur, ad rerum nostratum cognitionem nihil conferunt. Cum ergo dixisset, Est enim per singula forma quædam æqui-uoca, ostendit quomodo per singula, illud autem, Præterq; substantias cæterorum, quæ sunt vnum in pluribus, & in his, & in perpetuis rebus, huiusmodi est, præter nostrates substantias sunt formæ ipsis æqui-uocæ, & pari ratione præter res a substantia diuersas, quæ sunt alia genera in quibus est vnum quiddam & commune in multis singularibus, quorum communium ideæ per hos causas fuerint existendi, ac vt efficiantur. Quod vero ait, Et in his & in perpetuis rebus, huiusmodi est, tum in nascentibus, & intereuntibus, hæc enim significat dicens, in his. tum in sempiternis, nam mundus, & quæ in mundo habentur, per ipsos sempiternum habent esse, vt merito dixerit formas æquales esse numero ceteris quorum est vnum in multis, id est, in quibus est vnum in multis quibusdam. Nam vt ceterorum exponeret, hoc adiecit, ideq; nanq; per istos causas sunt vniuersalium, quæ in singularibus habentur, aut vnum in multis dixit de idea. Quauis enim singularium non sit idea, est tamen vniuersalis, quod in singularibus inest. hominis enim, non Socratis aut Platonis habetur idea, qui homo communis est his & omnibus specie ipsi similibus, quoniam omnibus adest. Deinde nullo eorum modorum formæ esse videntur, per quas ipsas esse ostendimus.) Ostendimus dixit, quasi professus dum Platonis refert sententiam, suam ipsius referre sibi videri, eamque non vt aliena placita dogmataq; insectari, sed vt suam differere ac examinare, vt intelligatur veritatis indagandæ gratia quæstionem ab ipso fuisse susceptam. Ac ostendere conatur, nulla ratione ex ijs quibus Plato innitur, ideas esse demonstrari. quibusdam enim neque arguitur neq; colligitur propositum, & efficitur, vt quarundam rerum habeantur ideæ, quarum haberi isti inficiantur. Aliæ vero licet aliquid de ideis colligere videantur, illud tamen incommodum nõ effugiunt, quin earum rerum sint ideæ, quarum his esse non placet. Neq; dicit quosdam istorum omnino inepte argumentari, alios ideas esse affirmare earum rerum quarum nullas esse volunt, sed ipsarum rationum quasdam in utroq; peccare, alias omnino in altero. Aut certe nonnullas istorum rationes damnat velut omnino falsas, & nihil demonstrantes, quales hæc sunt, si quidquam verum est, formæ sunt: nihil enim verum est ex his, quæ apud nos habentur. Præterea si memoria est, formæ sunt: quia memoria rei manentis est. Item numerus est entis, hæc autem quæ apud nos sunt, non sunt entia, ergo numerus est formarum, ac proinde formæ sunt. Et illa, definitiones entium sunt, horum autem nihil est, formæ igitur sunt. Sed quoniam huiusmodi rationes falsæ sunt, & nihil faciunt, idcirco harum nullam commemorat, sed quasdam refellit, quæ aliquid demonstrare videntur, & eam in primis, quæ ex scientijs ideas esse confirmat. Quod si rationes quibus isti ideas esse arguere conantur, huiusmodi sunt, vt vel propositum non conficiant, aut earum quoq; rerum ideas esse colligant, quarum isti esse negant, nihil opus est externis rationibus ad expugnanda ipsorum dogmata. satis enim suarum rationum infirmitate detecta corruunt.

Forma,
quare dicitur
æqui-
uoca.

Idea, vni-
uersalis est,
etiam si nõ
sit singula-
rium.

Per rationes enim scientiarum formæ eorum omnium erunt, quorum scientiæ sunt.

57 Per rationes enim scientiarum, formæ eorum omnium erunt, quorum scientiæ sunt.) Multifariam scientiis vsus est ad asserendas ideas, vt in primo de ideis dicit. Rationes autem, quarum hoc in loco meminisse videtur, huiusmodi sunt. Omnis scientia ad aliquid vnum & idem relata, officio suo fungitur: sed non refertur ad aliquod singulare, ergo præter sensibilia aliquid est in vnaquaq; sempiternum, & exemplar eorum quæ in quaque scientia efficiuntur, hoc autem est idea. Præterea quarum rerum scientiæ habentur, eæ res sunt. Scientiæ autem aliorum quàm singulariū habentur, nam singularia sunt infinita & indeterminata, scientiæ vero quiddam definitū: sunt ergo aliqua præter singularia, & hæc sunt ideæ. Ad hæc, medicina non est scientia huius sanitatis, sed sanitatis simpliciter, est igitur aliqua ipsi sanitas. Item geometria non est huius æqualis, & huius commensurabilis, sed simpliciter æqualis, & simpliciter commensurabilis. est igitur quiddam ipsi æquale, & ipsi commensurabile. Hæc porro sunt ideæ. Itaq; huiusmodi rationes, propositum, hoc est ideas esse non cōficiūt: licet aliqua esse arguant præter singularia & sensibilia, quæ tamen non protinus sunt ideæ. Nam cōmunia, quorum scientias esse dicimus, præter singularia sunt. Item rerū artificiosarum ideas esse arguunt. Etenim ars omnia opera sua ad aliquid vnum refert, & eæ res sunt quarum artes habentur, & artes rerum a singularibus diuersarum habentur. Sed posterior ratio nō solū non demonstrat ideas esse, sed earum rerum quarum his non placet ideas esse, confirmare videtur. Nam si idcirco ipsi sanitas est, quoniam medicina nō est huius sanitatis, sed sanitatis simpliciter, idem quoq; erit in singulis artibus. Ars enim non est singularis, neq; huius, sed illius simpliciter in quo versatur, vt ars lignaria est sedilis simpliciter, non huius sedilis, & lecti simpliciter, non huius lecti. Eadem est fingendi pingendiq; ac ædificandi artium ratio, & aliarum cuiusque ad suum subiectum. Sequitur ergo contra istorum placita, rerum quoq; artificiosarum ideas esse.

Ars.

Et per id, vnum inquam in multis esse, & negationum nimirum erunt.

58 Et per id vnum inquam in multis esse, negationum quoq; nimirum erunt.) Huiusmodi quoq; ratione ad asserendū ideas vtuntur. Si multorum hominū quisq; homo est animalium animal, quæ eadē in cæteris est ratio, & nihil de seipso dicitur, sed aliqd est diuersum a singularibus, quod de omnibus ipsis dicitur, aliquid igitur est præter singularia seiunctum ab ipsis, ac sempiternum. semper enim pariter dicitur de omnibus, quæ secundum numerum commutantur. Quod autem vnum est in pluribus ab ipsis seiunctū & sempiternum, hoc idea est. sunt igitur ideæ. Cæterum hac ratione ait negationum quoq; & non entium ideas esse colligi. Negatio enim vna eademq; de multis dicitur, & de nō entibus, & a singularibus de quibus vere dicitur, diuersa est. Non homo enim de equo & cane ceterisq; omnibus ab homine diuersis dicitur, ac proinde vnū in multis est, neq; idem est quod eorum aliquod de quibus dicitur. Præterea semper manet, cum similiter de similibus vere dicatur. Nō musicum enim de multis vere dicitur, de omnibus videlicet non musicis, quemadmodū non homo de non hominibus. quo fit, vt negationū quoq; ideæ sint. quod quidem est absurdum. non existendi enim idea esse qui potest? Quod si quis admitterit, discrepantiū genere, ac omnino diuersorū vna erit idea, exempli causa lineæ, hominisq; vt trunq; enim horum est non equus. Item indeterminatorum infinitorumq; vna erit idea, quinetiam prioris & posterioris. homo enim & animal, quorum alterum est prius, alterum posterius, non lignum sunt. quorum tamen istis neq; genera neq; ideas esse placet. Satis ergo intelligitur, hac ratione ideas esse non cōcludi: quāquam eadem aliquid esse demonstrare velit, quod communiter prædicetur, diuersum a singularibus de quibus dicitur. Præterea ipsi ostendere volentes esse aliquid vnū in pluribus, quod cōmuniter prædicetur, idq; esse ideam, ex negationibus id ipsum confirmant. Si enim qui de pluribus aliquid negat, is ad vnum aliquid referens negat (nam qui ait, homo non est albus, equus non est albus, is non aliquid de ipsis proprium singulare negat, sed ad vnum aliquid album spectans, id ipsum de omnibus negat) nimirum & qui de pluribus idem affirmat, non aliud singulare de alio affirmat, sed aliquid quod vnum sit secundum relationem ad vnum & idem, exempli gratia hominem. similis enim ratio est affirmationis atq; negationis. Aliquid est igitur diuersum a sensibilibus, quod causa est veritatis in pluribus, & communis affirmationis, quod quidem idea esse intelligitur. sed hanc rationem non modo affirmatorum, sed negatorum etiā ideas esse colligere ait: quippe cum in vtriusq; pari ratione vnum sit.

Negatio.

Per hoc autem, intelligere inquam quid, de corporum etiam erunt quæ corrumpuntur. Est enim horum simulacrum in imaginatione, vt patet. Præterea rationum exactiores, partim eorum quæ sunt ad aliquid, ideas faciunt, quorum non dicimus per se genus esse, partim tertium hominem asserunt.

Per intellectionem autem alicuius delectis rebus, intereuntium quoque erunt ideæ. Nam horum quiddam phantasma existit.) Ratio quæ ideas esse intelligendo arguere molitur, huiusmodi est. Cū hominē intelligimus, aut pedestre, aut animal, aliquid rerū existentium intelligimus, sed nullū singulare intelligimus, cum delectis singularibus eadem intelligentia maneat, ergo præter singularia &

Phantasma
etiā nō ex-
istentiū cō-
feruatur.

Tertius ho-
mo quo-
modo esse
colligatur.

Phanias.
Polyxen⁹
sophista.

sensibilia aliquid est, quod illis vel existentibus vel non existentibus intelligimus. Neque enim tunc aliquid non ens intelligimus. hoc autem est forma & idea. Hanc ergo rationem ait interuentium etiam atque interemptorum, ad summam sensibilibus & mortalium rerum ideas esse confirmare, ut Socratis, vel Platonis. Nam & hos intelligimus, & ipsorum, vel cum nulli iam sunt, imaginationem retinemus. phantasma enim rerum quoque non existentium conseruamus, quin & ea intelligimus, quae penitus non sunt, ut hippocentaurum & chimeram. Ita ne hac quidem ratione efficitur, ut ideae sint. Praeterea rationum exactiores partim eorum quae sunt ad aliquid, ideas faciunt, quorum non dicimus per se genus esse, partim tertium hominem afferunt.) Ratio igitur astruens eorum quae sunt ad aliquid, ideas esse, huiusmodi est. In quibus aliquid idem de pluribus praedicatur non aequiuoce, sed quasi naturam unam significans, in ijs hoc de ipsis vere dicitur, vel quia proprie sunt id quod per praedicatum significatur, ut cum Socratem aut Platonem hominem esse dicimus, aut quia haec sunt rerum verarum signa, ut cum hominem de hominibus pictis praedicamus. In his enim significamus imagines hominum eandem naturam in omnibus significantes, vel hunc quasi exemplar esse ipsarum, illas vero huius imagines, ut si Socratem eiusque imagines homines esse diceremus. aequale autem ipsum de rebus nostratibus praedicamus, & id quidem aequiuoce. Neque enim eadem ratio congruit omnibus, neque vere aequalia significamus. quantum enim in sensibilibus mouetur, & continenter commutatur, nec est definitum, sed neque aliquod sensibile aequalis rationem exacte admittit. Caeterum neque hoc est ut exemplar ipsorum, illud ut imago. neque enim alterum altero magis est vel exemplar, vel imago. Quod si quis admittat imaginem non esse aequiuocum exemplari, semper sequitur, haec aequalia, ut imagines, aequalia esse eius quod proprie ac vere est aequale. quod si verum est, aliquid est proprie & per se aequale, ad cuius exemplar haec quasi imagines & fiunt & dicuntur. hoc autem est idea, quae exemplar est & imago ijs quae ad eius similitudinem efficiuntur. Haec igitur una ratio, quae ideas esse confirmat eorum quae dicuntur ad aliquid, accuratius, exactius propiusque idearum demonstrationem attingere videtur, quae non aliquid commune praeter sensibilia simpliciter videtur demonstrare, ut superiores, sed esse quoddam sensibile exemplar, quod proprie existit. hoc enim maxime ideae significari videntur. Hanc ergo rationem eorum quoque quae ad aliquid dicuntur, ideas esse confirmare ait. Nam praesens demonstratio in aequali procedit, quod quidem aequale ad aliquid dicitur. At eorum quae sunt ad aliquid, ideas isti esse negabunt, ut quibus ideas substantias quasdam esse placeat, quae per se subsistant. cumque ad aliquid dicuntur, in habitudine mutuae relationis esse habent. Praeterea si aequale aequali est aequale, efficitur, ut aequalis plures habeantur ideae, quoniam ipsae aequale ipsi aequali est aequale. Nam si nulli est aequale, ne aequale quidem fuerit. Ad haec inaequalium ideas esse pari ratione oportebit. Nam oppositorum perinde erunt aut non erunt ideae. Inaequale autem constat inter hos in pluribus esse. Quo in loco opinionem rursus communem efficit, quasi disputet aduersus propriam opinionem, dicens, Quorum non dicimus per se genus esse. Genus autem pro subsistentia & natura dixit. Ipsum enim ad aliquid, ut alio in loco testatur, propagini simillimum est. Ratio porro qua tertius homo esse colligitur, huiusmodi est. Quae de substantiis communiter dicitur, ea proprie talia esse aiunt, & haec esse aequalia. At haec quae inter se similia sunt, talia esse, quia participant eodem aliquo quod proprie hoc est, & id esse ideam. Quod si ita est, & quod de quibusdam communiter dicitur, nisi est idem quod aliquid eorum de quibus dicitur, aliquid est praeter illa. nam idcirco ipsi homo genus est, quia de singularibus dicitur, & ab illis quoque discrepat: nimirum tertius quidam homo fuerit praeter singularia, ut Socratem & Platonem, & praeter ideam, quae & ipsa una numero est. Erat autem alia sophistarum ratio, qua tertius homo esse concluditur, ad hunc modum. Cum dicimus, homo deambulat, non hominem quasi ideam deambulare dicimus, immobilis est enim idea, neque singulorum quempiam, quippe quem non cognoscimus. Nam hominem deambulare cognoscimus ex singulis: quis est de quo loquimur, non cognoscimus, sed alium quendam praeter hos tertium hominem deambulare dicimus. est igitur tertius homo, de quo deambulare praedicamus. Huic ergo rationi, quae quidem captiosa est, occasionem praebuerunt, qui commune a singularibus seiungunt, quod efficiunt qui ideas esse statuunt. sed Phanias in eo libro quem scripsit in Dionodori, testatur Polyxenum sophistam arguere tertium hominem esse, ad hunc modum. si participatione ac societate ideae ac ipsi hominis homo est, aliquem hominem esse oportet, qui esse habeat ad ideam. At ipsi homo, cum ipse sit idea, non est participatione ideae, sed neque homo quilibet. superest igitur alium quendam tertium hominem esse, qui habeat esse ad ideam. Ad haec tertium hominem esse, ad hunc modum ostenditur. Si quod de pluribus vere praedicatur, aliquid est diuersum ab ijs de quibus praedicatur, (auctores enim idearum hoc demonstrare rebantur, idcirco enim istis ipsi homo est, quia homo de pluribus singularibus hominibus vere praedicatur, ac proinde diuersus a singulis hominibus est) si res ergo ita sese habet, profecto ut tertius homo sit, perinde fuerit consentaneum. Nam de singularibus ipsaque idea homo praedicatur, est igitur tertius homo praeter singulares, ipsamque ideam. Si enim qui praedicatur, diuersus est ab ijs de quibus praedicatur, & per se subsistit, homo autem de singularibus atque idea praedicatur, nimirum tertius homo fuerit a singularibus ipsaque idea diuersus. Sed hac ratione quartus quoque homo esse confirmabitur, qui de hoc, & idea, singularibusque praedicatur: & item quintus, & hoc in infinitum. sed haec ratio eadem est, atque prima: quod incommodum his accidit, dum similia alicuius eiusdem participatione similia esse statuunt. homines enim & ideae similes inter se sunt. Duas igitur rationes, quae ex

etiores esse videbantur, conuincit, alteram quod eorum quæ dicuntur ad aliquid, ideas esse confirmet, alteram quod tertium hominem asserat, & homines dempto sine multiplicet. Qua ratione vnum quodque multiplicari potest ex ijs quorum ideas esse tradunt. At priore quidem tertij hominis expositione cum alij quidam, tum in primis Eudemus aperte in libro de dictione vtitur, posteriore vero ipse in quarto de ideis, & in hoc paulo post.

Atque omnino rationes eæ quæ fiunt de formis, ea tollunt, quæ magis esse volunt qui formas inquirunt esse, quàm ipsas ideas. fit enim vt nõ sit dualitas, sed numerus primus, & id quod est ad aliquid, prius sit eo quod est per se.

60 Atque omnino rationes hæc, quæ fiunt de formis, ea tollunt quæ magis esse volunt qui formas inquirunt esse, quàm ipsas ideas. Magis autem potissimumque principia esse voluit. Nam principia his ipsarum quoque idearum sunt principia. Sunt vero principia vnum, & dualitas indefinita, vt paulo ante dixit, & ipse refert in libro de bono. quin & numerorum hæc esse principia istis placet. Hæc igitur principia a rationibus ideas asserentibus tolli proficitur, quibus principijs sublati confluent profecto quæ deinde sequuntur. Si quidem hæc ex principijs existunt, ac proinde ideæ constare nequebunt. Nam si de quibuscumque aliquid commune dicitur, in his est quiddam separatũ, & idea, de dualitate vero indefinita dualitas dicitur, sequitur, vt hac sit prius aliquid, ac idea, & sic dualitas indefinita non erit principium. Neque rursus ipsa dualitas prima principiumque fuerit. Nam iterum de illa vt idea numerus predicatur, cum istis ideas numeros esse placeat. Quare numerus, qui sit aliqua idea, prior erit per istos, & tunc infinita dualitate, quæ his est principium, numerus erit prior, nõ educto numero dualitas: ita non iam erit illa principium, siquidem cum habitudine quadã talis est. Præterea positum est hanc esse numeri principium: ratione vero proposita efficitur, vt numerus dualitate sit prior. Ad hæc si numerus est ad aliquid, omnis enim numerus alicuius est, estque numerus rebus prior, cum ipsa quoque dualitate, quam principium esse statuebant, prior sit, vtique ipsum ad aliquid prius erit eo quod per se existit. quod quidem est absurdum. quidquid enim ad aliquid dicitur, posterius est, quippe quod habitudinem significat naturæ præexistentis, quæ natura prior est habitudine quæ ipsi accidit. Nam ad aliquid, vt in Moralibus dixit, propagini simile videtur esse. Quinetiam si quis numerum quantum esse, non autem ad aliquid esse dixerit, fiet vt quantum substantia prius sit. Præterea istis ad aliquid principium eius esse, quod per se subsistit, eoque prius dicere, consentaneum est, cum ideam ipsis substantiarum principium esse placeat, & esse ideam positum sit in esse exemplar, sitque exemplar ad aliquid. Exemplar enim alicuius exemplar est. Iam vero si ideas esse consistit in esse exemplaria, profecto quæ ad ipsarum exemplum fiunt, & quorum sunt ideæ, imaginum erunt imagines. hac autem ratione quæcunque secundum naturam consistunt, ad aliquid per eos effici dicat, cum omnia imagines sint, & exemplaria. Præterea si esse ideas consistit in exemplaria esse, estque exemplar gratia eius quod ad ipsius efficitur similitudinem, & quod propter aliud est, hoc ignobilius est illo: ideæ nimirum, quæ ad ipsarum similitudinem efficiuntur, ignobiliores erunt.

Principia vnum, & dualitas.

Et vniuersa etiã ea quibus opiniones quidã de ideis secuti, principiis sunt aduersati.

61 Et vniuersa etiam ea, quibus opiniones quidam de ideis secuti, principiis sunt aduersati. Huiusmodi quædam sunt rationes, quæ præter commemoratas per idearum positionem, principia ipsarum amoliantur: Quod communiter de aliquibus dicitur, id principium est, ideæque illorum. principium autem communiter de principiis, elementum de elementis dicitur. ergo principiorum elementorum aliquid est principium, eisque prius, ac proinde neque principium fuerit, neque elementum. Ad hæc idea non est prior quàm idea. nam iuniliter omnes ideæ sunt principia, sed ipsiunum & ipsidualitas perinde idea est, atque ipsi homo, & ipse equus, & alia quæque idea. nõ igitur altera prior est altera, nec alterius principium, ergo neque vnum nec infinita dualitas principium est. Item ideam ab idea informari absurdum est, cum omnes formæ sint. at si vnum & indefinita dualitas principia sint, idea ab idea erit informata. Nam ipsidualitas ab ipsiuno informabitur. quæ sic principia esse traduntur, vt vnum sit forma, dualitas autem materia. hæc igitur non sunt principium. Quod si aualitatem indefinitam ideam esse negauerint, primum aliquid erit prius ipsa, quæ principium est. Nam ipsidualitas, cuius participatione ipsa est dualitas, hac prior erit. Neque enim est ipsa dualitas participatione. de ipsa enim dualitas predicabitur, quoniã de dualitatibus predicatur. Deinde si ideæ simplices sunt, non constabunt ex diuersis principiis. At vnum, & dualitas infinita, diuersa sunt. non igitur ex his constabunt ideæ. Tum dualitatum multitudo mirabilis fuerit, si alia sit ipsidualitas, alia dualitas infinita, alia dualitas mathematica, quam numerantes usurpamus, quæ a prioribus illis est diuersa. & item alia, quæ in numerandis sensibilibusque habetur. Atqui hæc incommoda sunt, cum possit quispiam horum placita de ideis secutus principia demoliri quæ ipsorum sententia sunt ideis potiora.

Præterea existimatione quidem qua ideas dicimus esse, non solum substantiarum erunt formæ, sed multorum etiam cæterorum. Est enim id vnum quod mente con-

cipitur, non modo circa substantias, sed etiam circa cætera. Et scientiæ non substantiæ solum, sed cæterorum etiam sunt, & alia eueniunt huiusmodi infinita. Necessitate autem opinionibusve, quæ de ipsis habentur, si formæ participabiles sunt, substantiarum duntaxat ideas esse necesse est. non enim per accidens participantur.

Ideas non
substantiarum
solū esse.

Ex accidenti
participa-
re.

Præterea existimatione quidem qua ideas dicimus esse.) Ex rationibus, inquit, confirmantibus ideas esse, efficitur, ut non substantiarum solum, sed complurium aliorum ideas esse confitendum sit, ut supra demonstratum est. Illa enim ratio, quiddam commune in pluribus intelligi, quod etiā sub- latis insensibilibus intelligatur, mortalium tantum rerum ideas esse demonstrat. Hæc vero quæ ex do- ctrinis colligere moluntur, non modo substantiarum, sed multorum aliorum ideas esse conficiunt. Neque enim substantiæ solum intelliguntur delectis etiam ijs de quibus intelligi prædicatur, sed quæ- ta etiam & qualia, & horum entium quodque. Neque doctrinæ de substantijs tantum habentur. Quin- etiam si virtutum ideæ sunt, non substantiarum modo erunt ideæ, cum virtutes non sint substantiæ. Illud autem, Et alia eueniunt huiusmodi infinita) dixit, quia sunt aliæ quædam rationes ad asser- tionem idearum pertinentes, ex quibus efficitur, ut non substantiarum solum ideas haberi, sit confi- tendum. Nam quod aiunt, unū de pluribus dici, quod idem cunctis inter se diuersis adest, sed differt ab ipsorum singulis, id non substantiarum tantum ideas esse confirmat. Neque enim ut unum de plu- ribus dicatur, in substantia tantum usu venit. Neque ea ratio, quæ rerum constanter efficiendarum cau- sam esse dicit, quod hæc ad constans quoddam exemplum, quæ idea est, efficiantur, in substantijs so- lum valet, non magis quam alia quæ ad hunc modum colligere molitur. Quidquid affirmantes ve- re dicimus, id existit. sed affirmantes concentus esse quinq; vel tres, & harmonias tres, vere dicimus, tot igitur sunt. at numerus rerum nostratum infinitus est sunt ergo alia sempiterna per quæ vera dicimus. & hæc ratio non solum valet in substantijs, cuiusmodi rationes aliæ quoque cōplures habentur. At necessarium est, inquit, & istorum placitis consentaneum, si formæ cōmunicabiles sunt, sub- stantiarum tantum esse ideas. Nam si ideas causas istis esse placet, ut ea sint, quæ ad ipsarum exem- plum efficiuntur, & communicatione idearum hæc sunt, satis intelligitur ipsas non ex accidenti cō- municari, neque per accidens causas esse ut ea sint, quæ ad ipsarum exemplum, & propter ipsas sunt, sed per se in eo quod hæc sunt. Ex accidenti autem quibusdā participare ea dici possunt, quæ nō par- ticipant rebus communicatis quæ illis esse adest. Sed neque ideæ ex accidenti communicatæ sibi assi- milatis, ut sint præstare queant. Neque enim homo est, quod aliquo homini accidenti participat, sed quod participat homine, quæ homo est. At ideæ substantiæ sunt. neque enim his placet principia non esse substantias. tunc enim non substantia prior esset quam substantia. necesse igitur est, quæ his com- municandis esse nanciscuntur, ea quoque substantiæ sint. substantiarum ergo tantum ideas esse, horum decretis consentaneum est. Nam si ideæ sunt etiam non substantiarum, id est accidentium, primum quare non omnium accidentium, sed quorundam sunt? deinde ipsorum accidentium ideæ vel sub- stantiæ sunt, vel secus. si non substantiæ, ergo ideæ, quæ principia sunt, erunt non substantiæ. At ipsi ideas substantias esse dicunt. Tum illud est absurdum, non omnes ideas unius potissimum esse natu- re. Quod si quis dixerit ideas esse intelligentias, vel substantias, cur quæ substantijs per se participant, ea partim substantiæ fiunt, & sunt, partim non substantiæ?

Sed hoc cuiusque quodque particeps esse oportet, quo non dicitur de subiecto: veluti si quippiam ipsius dupli particeps est, id & perpetui particeps est, sed per accidens. ac- cidit enim duplo perpetuum esse. Quare formæ substantiæ erunt, atque hæc substantiæ & hic & ibi significant.

Dualitas
sempiterni
particeps.

Sed hætenus cuiusque particeps esse oportet, quatenus non dicitur de subiecto) id est, hætenus oportet idearum participia esse, quæ ad ipsarum exemplum habent esse, quatenus aliquid non habet esse in subiecto, hoc est, quatenus non dicitur per accidens, neque ex aliquo ipsi accidere. Nam hoc in loco subiecto pro accidenti positum est. Per se igitur, inquit, quæ ad exemplum idearum sunt, effi- ciunturque, & propter ipsas existunt, ipsis participabunt, non aliquo eis accidenti. Et sic idearum æmu- la substantiæ fuerint, substantijs per se non per accidens participando. Porro exemplū apponit eius quod per accidens esse dicitur. Nam dualitas quæ participatione dualitatis dualitas est, sempiterni quidem est particeps, sed per accidens sempiterni. Nam dualitas sempiterno participans est dua- litas, at non dualitate per accidens participat. Tunc enim perinde esset dualitas, atque sempiterna. Illi vero dualitati esse dualitatē non est positum in eo quod sit sempiterna, sed hoc ipsi accidens est: quamobrem si quidquam sempiterno participans, dualitate participare dicatur, dualitate ex accidens- ti participabit. Ergo cum dualitate per se participet, sempiterno autem per accidens: dualitas erit, ac proinde similis illi, sempiterna vero non. Nam quæ ex accidenti aliquibus participant, ea non sunt illi similia cuius participia sunt. si hæc ergo nostratia ideis similia sunt, profecto non ex accidens- ti, sed per se illis participant. Porro quod per se substantia participat, id quidem substantia est. Er- go necessarium est, & huic opinioni consentaneum, substantiarum solum haberi ideas, siquidem

illæ substantiæ sunt, & quæ substantijs participant, ea quoque substantiæ esse intelliguntur. Eadem namq; apud nos & in sempiternis substantiam significant, vt homo & hic & illic substantiam significat, calidum vero vtrobiq; quale. Quod si verum est, efficitur, vt substantiarum nostratum solum ideas esse confiteri debeant, si ideæ substantiæ sunt. Veruntamē in quibusdam exemplaribus ita scriptum est, Sed cuiusq; particeps esse oportet, quatenus de subiecto dicitur. & tunc sensus esset, quæ idea participant, hæc oportet vt participant ipsa tum per se, tum in eo quod de ipsis subiectis predicatur. Itaq; si dualitatis ratio ei congruit, quod dualitate dicitur participare, dualitate participat. si minus dualitatis, sed sempiterni ratio congruit participanti, tunc participat sempiterno. Illud vero (quare formæ substantia erunt) pro hoc dictum est, quare si formæ erunt substantia. vel, quare formæ erunt sola substantia. hoc enim positum est. Atq; hæc substantiam & hic & illic significant.) Neq; enim ait si quod apud nos est qualitas, id in ideis est substantia, oportebit harū modo substantiarum ideas esse. Nam fieri non potest si illæ substantiæ sunt, vt ipsarum æmula partim substantiæ sint, partim secus. Hæc enim vtrobiq; substantiam significant.

Vel quid id erit, vnum inquam ipsum in multis aliquid esse præter hæc ipsa dixisse.

64 Alioquin quid erit dicere quiddam vnum præter hæc in multis esse? Si hæc, inquit, non per se, sed ex accidenti participant ideis, quorsum isti dicunt aliquid esse præter hæc, id est, præter sensibilia id quod vnum de pluribus dicitur, & est vnum exemplar in compluribus his rebus. Neq; enim vnū erit in pluribus, quod ex accidenti de ijs dicatur, quæ ad ipsius similitudinem effecta sunt. hæc enim ratione omnia omnibus participare valent, nec potest quidpiā aliquo ex accidenti participare quod illo proprie participat, vel habet esse ab illo, qua illud est, aut deniq; quod ipsi est assimilatum. Aut illud, alioquin quid erit dicere quiddam vnum præter hæc in multis esse.) dici potest quasi consequens eius quod statim dixerat, Hæc autem substantiam & hic & illic significat. Nam nisi hoc ita sit, quid est quod isti aiunt, aliquid esse præter sensibilia, quod vnū de pluribus dicitur? Sic enim dicitur, quæ si vna natura significetur, & ab vno in pluribus, & a pluribus de quibus ipsum vnum dicitur. Quo demonstrato posset quispiam adijcere, si hæc ideis per substantiam participant, eademque dissident inter se, aut in ipsis ideis, quarum hæc æmula sunt, eadem habentur differentiæ, aut ipsarum proportionale. Nam cum his suppetat ab illis vti sint, ab eisdem vt discrepent suppedabitur, quoniā discrimen quod ab illis obtinent, ipsis inest per substantiam. Idcirco enim alia forma ab alia tribuitur idea, quoniam ni ita esset, nihil prohiberet omnium ipsarum vnam esse ideam. quo fit, vt quæque idea vel secundum substantiam & formam idem sit, atq; ea quæ fiunt ad ipsius similitudinem, aut certe quædam habebitur potestas, vt alia idea aliam formam efficere ac tribuere possit. qua ratione idearum æmula discrepabunt. Erit autem ideis discrimen vel quale rebus nostratibus inter se dissidentibus, vel certe huius proportionale. Apud nos autem aliud est animal rationis compos, aliud animal rationis expers. Estque vtriusque singularium idea suppedatrix. In ideis igitur rationis compos & rationis expers habetur, aut horum proportionalia, per quæ alia idea rationale, alia irrationabile præbere possit. Et quam rationem habent inter se, quæ ad illarum similitudinem, & ab illis habent esse: hanc obtinent illa quæ horum exemplaria sunt, rationale & irrationabile, siue opposita sunt, siue hoc est habitus, illud priuatio. In ideis igitur horum vtrunque reperitur. quod si verum est, quomodo erunt ideæ simplices etiam num? Præterea si ideæ sunt, vt quidam aiunt, intelligentiæ, & subsistunt in eo quod intelliguntur, quomodo intelligens simul queat ipsa intelligere: cum fieri non possit, vt contraria oppositave simul intelligentur, cum ne plura quidem simpliciter intelligi simul queant. Nam si vicillim & alternatim intelligentur, celeriter interibunt: tantum abest, vt sempiternæ sint: quia cum non intelligentur, non erunt: siquidem esse ipsarū in hoc consistit, quod intelligantur. Nā quæ ipsi naturæ sunt impossibilia, cunctis sunt impossibilia, vt quia fieri non potest vt diameter lateri sit commensurabilis, pari ratione vbique, & apud omnes etiam apud deos ipsos fieri non potest. Ad hæc si sunt intelligentiæ, sunt igitur non substantiæ, ac proinde non substantiæ principia fuerint. Age vero quomodo ad non substantiæ similitudinem efficitur substantiæ? Neq; enim magis est alienum, quod ad exemplar substantiæ fit, id non esse substantiā, quàm ad non substantiæ, substantiam esse.

Idearū esse se, in quo consistat.

Atque si species quidem earum est idearum, earumque rerum quæ sunt participes, erit aliquid profecto commune. Cur enim in dualitatibus hisce quæ corrumpuntur, & dualitatibus multis quidem, ac æternis, dualitatis prædicatio magis vna est eademque, quàm in hac, atq; aliqua? Si vero non eadem species est, nomen duntaxat erit commune, & perinde ac si quispiam Calliam ac lignum hominem vocet, nulla ipsorum ratione visa communi.

65 Atq; si species quidem eadem est idearum atq; participum, profecto aliquid erit commune.) Argumētatur a diuisione per cōtradictionem partita. Aut enim idearum ipsarumq; participū eadem est species & ratio, aut non eadem. si eadem, vt in participibus, quæ eiusdem sunt speciei, est quiddam

Substātia-
rum tantū
ideæ.

cōmune, sic item in his, & in idea, a qua pendent hæc, erit aliquod cōmune prædicatum, cum illa sit eiusdē atq; hæc speciei. quod si ita est, cū idea sit quod cōmuniter prædicatur, ideæ habebit idea, quod in infinitū potest procedere. Id vero nunc dicit Aristoteles, quod nos in expositione tertij hominis secūdo loco posuimus. Nam cum ostendisset, res idearum participes nō ex accidenti ipsis participa- re, cū & ipsæ omnino & harum quædam ideo sint, quia illis participāt, hoc addit quod perinde est, ac si diceret. si ergo ut demonstratū est, eadem est idearū ipsarūq; participum species, profecto cuiq; ideæ, eiusq; exemplis aliquid erit commune. quare cum sint vtraq; eiusdem speciei, & illa sint substā- tiæ, hæc quoq; vti sint substantiæ consentaneum est. quo fit, ut substantiarū tantum habeantur ideæ. sin autē non eiusdē speciei esse dicantur, nihilominus incōmodum sequi declarabitur. Illud autem, (cur enim in dualitatibus hisce quæ pereunt, & in dualitatibus multis quidem, sed æternis, dualitas magis vnum & idem esse dicitur, quàm in hac & in aliqua) eo pertinet, ut intelligatur aliquid com- mune ideis fore cum suis æmulis. Nā si dualitas quæ sit vnum & idem, prædicatur de qualitatibus quæ habentur in sensibilibus rebusq; intereūtibus, & de dualitatibus mathematicis, quia vtræq; sunt eiusdem speciei, (mathematica enim quæ isti sensibilibus & idearū media esse dicebant, sempiterna per ipsos sunt) & plura inter se similia, si ergo de his dualitas ut vnū & idem prædicatur, cum tamē altera sit sempiterna, altera secus, nō alia ratione nisi quia sunt eiusdem speciei, quatenus vtraq; dua- litas societate ipsius dualitatis habet ut sit, vti que pari ratione dualitas nihilominus de dualitate idea & de aliquibus dualitatib⁹, quibus esse ab illa suppetit, prædicabitur, cū sint eiusdem speciei. Quod si æmula idearum neq; secundum substantiam neq; secundum speciem sunt ipsis assimilata: profecto hæc ideis erunt æquiuoca. quod si ita est, cur aliqua erit æquiuocorum idea, quæ causa est existendi, potius quàm aliorum quorumpiam? cum neque substantia neq; specie hæc sint illi similia, quæ ipsi æquiuoca esse dicuntur. Perinde nanq; fuerit, ac si quis Calliam & lignum hominem appellaret, qui- bus nihil est inter se simile cur homines esse dicantur. Ad summam quomodo hæc res idearum parti- cipes esse dicantur, quæ cum illis nullam habent substantiæ cōmunitatem? quod perinde videtur esse atq; illud quod paulo ante dixit. Alioquin quid erit dicere, quiddā vnum præter hæc in multis esse.) Si enim signa seu imagines suis exemplaribus æquiuoca esse dixerimus, & nostratia ideis, quanam re isti dicere valeant hæc illis assimilari, si non substantia? Num figura & colore imagines sunt? At nihil tale in illis habetur. An sempiterni, vel incorporei, vel immobilis ratione hæc illis habentur si- milia? At hoc fieri non potest, qua via cuncta dispicientes, nihilo præterquam substantia similia esse reperiemus. Nam si quo alio ideis accidenti cætera ipsis participant, id erit ex eorum numero, quæ sunt ideis cōmunia inter ipsas, ut sempiternum, incorporeum, immobile. At si ob aliquid cōmune participant ipsis, cur participium hic homo est, ille equus?

Maxime vero omnium id quispiam dubitauerit, quidnam formæ perpetuis sensibi- libus, aut hisce quæ oriuntur ac occidunt, conferat. Neq; enim motus, neq; mutationis vllius ipsis sunt causæ. At vero neq; conferunt, quippe cū non insint in hisce rebus quæ sunt horum illæ substantia. essent enim in istis.

Maxime vero omnium id quispiam dubitauerit, quidnam formæ sempiternis sensibilibus, & ijs 66 quæ oriuntur & occidunt, conferant.) His quæ hoc in loco traduntur, declaratur recte Aristotelem, dum aggredieretur ideas refellere, dixisse. Primo quidē quærentes harum rerū causas fumere, alia his æqualia numero attulerūt.) Nam si quæ ab istis ponuntur, nihil ijs de quibus quæritur conferūt, isti nihil aliud, quàm æqualia numero quærendis apponebant, quasi maiorem rerum scientiā essent habituri, si plura duplaque substituerentur. Quod autem hoc in loco quærit, est. Cuiusnam rei sint ideæ causæ ijs quorum dicuntur esse ideæ. Dicitque, Perpetuis sensibilibus, & ijs quæ oriuntur, & occidunt.) quoniam diuinorum quoq; corporum istis ideas esse placebat, ut Solis, lunæq; & astro- rum. Neq; enim horum tantum, sed omnis etiam cæli ideas esse comminiscabantur. idcirco nanque paulo ante dixit, in alijs quoq; vnum in multis est, tum in his, tum in sempiternis. Itaq; cælestia sem- piterna appellat, & sensibilia. Nostratia vero, nascētia, & intereūtia. Quærit igitur quid ex rebus na- turalibus vel diuinis vel mortalibus ideæ conferant. & primum quo ad motum, qui corporibus natu- ralibus communissimus est. Corpora enim diuina, semper continenterq; in orbem mouentur. quæ vero generantur, cunctis mutationibus variant, secundum suam quodque naturam. ideas ergo nihil corporibus conferre neq; ad generationem, neq; omnino ad aliquem motum ostendit. Nam cū ideæ ex istorum sentētia immobiles sint, probabilius est ipsas status quàm motus rebus esse causas, ut in- telligatur minime has causam esse efficientē. Ad hæc ideas negat quidquā ad nostratium rerum, vel omnino ad eorum quæ ideas æmulātur, cognitionem conferre. Cognitione enim cuiusq; ex suæ formæ cognitione gignitur, cum ex forma cuiq; sua quiditas adsit. At ideæ non sunt harum rerum formæ, neq; harum cognitio pendet ab idearum cognitione, propterea quod forma horum, verbi gratia ho- minum, equorum canumq;, per quam esse obtinent, idea sit. Nam si ideæ harum rerū formæ essent, atq; substantia (forma enim per quam ipsum esse suppetit, est proprie cuiusq; substantia, & per hæc res quæq; cognosceretur) vtiq; in his rebus essent ideæ. Cuiusq; enim substātia & forma in eo est, cuius est substantia, at ideæ non sunt in his rebus, cum sint per se, atq; separatæ.

Diuinorū
etiā corpo-
rum ideas
ponebant
Platonici.

Ideæ neq;
ad motum
neq; ad ge-
nerationē
cōferunt.

Neque ut sint conferunt, quippe cum non insint in hisce rebus quæ sunt participes. Atenim hoc forsitan pacto videbuntur causæ esse, ut albus color mixtus cum corpore, mixti corporis causa est. Sed hic sermo facile admodum imminui potest, quem Anaxagoras quidem primus, Eudoxus autem posterius, & alii quidem dicebant. est enim per facile, multa absurda ad huiusmodi opinionem impossibiliaque inferre.

67 Neque ut sint conferunt) Postquã ostendit ideas neque motus, neque omnino mutationis æmulis sui causas esse posse, neque scientiæ, neque cognitionis, cum absint ab ipsis rebus, hoc sumpto demonstrat, ne ad hoc quidem ut hæc sint, quidquam conferre. Nam quæ ad hoc profunt, ut res aliquæ sint, ea eisdem rebus insunt, suntque vel materia vel formæ ipsarum: ideæ autem non insunt his rebus: sed ab eis sunt seiunctæ. Quo in loco id iuamentum siue utilitatem intelligit ab ideis non præstari rebus naturalibus, quam elementa ipsorum sunt elementa, præstare dicuntur: quoniam si hæc insita iuarent, materia essent, & forma. quod enim non sunt causæ efficientes, hinc demonstrat, quia hisce rebus nullius vel motus vel mutationis esse causæ possunt. Quibus expositis: docet quomodo quæ mixta cum aliquibus sunt, illis sint causæ ut talia sint: ostenditque merito positum esse: ideas ab his rebus esse disiunctas: quæ si mixtæ rebus, causæ his essent existendi, hoc perinde esset, ac si albedo corpori albo causa esse dicitur ut album sit, quia cum ipso misceatur, sitque natura quædam, quæ per se possit existere. Ad hunc enim modum albedo causa esset corporibus, quibus misceretur, ut alba sint. quamobrem si ideæ rebus naturalibus essent mixtæ, possent fortasse ipsis qualescunque sint, causam existendi præbere, ita demum, ut homo esset homo mixtione ipsi hominis ideæ. Sed protinus docet fieri non posse, ut ideæ rebus quæ ad ipsas dicuntur mixtæ sint: cum ait hanc rationem infirmam ac debilem esse. Ac exponit quinam fuerint in hac sententia, ut putarent rem quamque id esse quod est, propterea quod aliquid ei mixtum temperatumque sit, propter quod est id quod est. Anaxagoras enim ex cunctis similaribus rem quamque temperari tradebat, sed quod plurimum esset in mixtura, ex eo rei substantiam esse videri, prorsus ut vnaquæque res id sit quod est, quoniam cum ea quædam alia temperatur. Eudoxus quoque Platonis familiaris idearum mixtione ipsarum æmula constare putat: & alij quidem, ut dicebat, in hac opinione fuerunt. sed hanc rationem qua res alicuius participatione constare traduntur, facile redargui posse dicit: & naturam rerum in vniuersum non ita sese habere docuit, cum opinionem Anaxagoræ refelleret. Neque enim cum quouis quodque temperatum est. Nam mixtio eorum est quæ separata sunt, ac per se subsistere valent: qualia non sunt accidentia. quod si id quod mixtum est, separari potest: nimirum affectiones possent a substantijs separari. sed qui ad hunc modum præcipiunt, ipsi generationem & interitum tollunt, & cætera quæ in primo libro Physici auditis ad refellendam hanc opinionem contulit. Iam vero Eudoxum & quosdam alios falso putasse idearum mixtione cætera constare, hinc planum fieri dicit, quoniam horum opinionem multa incommoda sequuntur, multa etiam quæ fieri non possunt, qualia hæc sunt, si cum cæteris rebus ideæ miscerentur: primum ideæ corpora essent. mixtio enim corporum est. deinde oppositionem haberent inter se, quippe cum mixtio per contrarietatem efficiatur. Tum ita miscerentur, ut vel tota idea in singulis esset, quibus misceretur, vel pars eius. at si tota insit, efficitur ut vnum numero in pluribus existat, cum idea vnum numero sit. si autem pars, utique homo erit quod participat ipsi hominis parte: non quod ipsi homine participat. Ad hæc ideæ quæ pati nequeunt, diuidi & partiri possent. Præterea similes essent, cum omnia quæ aliquam partem habent ex ipsa, sint inter se similia. At formæ quomodo possunt esse similes: cum fieri non possit, ut pars hominis sit homo, quæ admodum pars auri aurum. Accedit quod in singulis rebus, ut ipse dicit in progressu, non vna idea mixta, sed plures habebuntur. Si enim alia est animalis, alia hominis idea, homo autem & animal est & homo, profecto homo utraq; idea participabit, & ipsi homo idea quatenus animal est, ipsi animali participabit: & sic fiet, ut ideæ non simplices, sed ex multis constitutæ sint, & aliæ sint priores, aliæ posteriores. Si autem non sunt animal, quomodo non est absurdum dicere hominem non esse animal? Item si ideæ cum suis æmulis miscerentur, quomodo exemplaria esse possunt, ut isti tradunt? Neque enim exemplaria miscendo suis imaginibus sunt in causa similitudinis. præterea intereuntibus rebus in quibus habentur, ipsæ simul interciderent. sed ne separari quidem possent, & per se consistere, sed in sui participibus essent, neque essent immobiles. Et cætera incommoda sequerentur, quæ latius persequitur in secundo libro de ideis, dum hanc opinionem refellit. idcirco enim dixit: Est enim per facile multa absurda ad huiusmodi opinionem impossibiliaque inferre. Illic enim collecta sunt.

Atqui nec vlllo eorum modorum ex ipsis formis sunt cætera, qui dici consueuerunt.

68 Atqui neque vlllo eorum modorum ex ipsis formis sunt cætera, qui dici consueuerunt.) Postquã ideas neque motus neque mutationis causas his rebus esse ostendit, neque ad illarum vel cognitionem vel scientiam quidquam conferre, neque ad substantiam & esse, quemadmodum quæ mixta, insitaque rebus sunt, ipsis ad esse conducunt, denique nullo modo causas esse: subiungit cætera ex ideis nullo constare modo ex ipsis qui afferri solent. Innuit autem modos, qui appellantur modi ex aliquo, qui proprie hi esse intelliguntur, ex materia, & forma. Res enim materiales ex materia esse dicuntur. pari

Ideas rebus
ad quas dicuntur,
non esse mixtas.

ratione & forma quæ habetur in re ipsa. Item ex ambabus, quorū modorū nullo cetera ex idea cōstituantur, alioquin idea in his ipsis rebus haberetur, vt demonstratum est. Est etiam modus qui dicitur ex aliquo, vt ex efficiente, item vt ex imperfecto perfectum, vt ex puero virum effici dicimus, & vt ex partibus totum. Ad hæc vt ex contrarijs contraria dicitur esse modus ex aliquo, & cum aliquid post aliud fit, vt ex Olympijs ludis fiūt Isthmia, id est post Olympios. At nullo ex his modis qui ex aliquo appellantur, cetera ex ideis efficiuntur. Nam neque sunt ipsorum materia, vt demonstratum est, neque forma, neque partes, neque ex ideis hæc vt ex contrarijs fiunt. Nam quod ex contrario fit, id subiecto eodem manente & variante efficitur, & tunc idem esset subiectum ideis, ipsarumq; imaginibus, ac proinde oppositæ suis imaginibus, non similes essent ideæ. Præterea his intereūtibus, ideæ quoque abolerentur: vt ex illis hæc, & illa ex his efficerentur. Generatio enim ex contrarijs ad hunc modum efficitur, sed neque ipsarum æmula ita fiunt ex eis, vt ex manentibus, & perfectionem quandam excipientibus, quemadmodum ex puero vir fieri dicitur, cum neque ideæ his rebus insint, neq; ex illis hæc perficiantur. Alioquin ideæ imperfectiores essent his rebus, & in ipsis haberentur, neq; essent interitus immunes. Nam perfectorum interitus, imperfectorum interitus est, sed neq; rerum effectrices sunt ideæ, vt filij pater est effector. Nam illæ immobiles sunt, & homo singularis hominem singularem procreat, non ipse homo, neq; demum vt Isthmij fiunt ex Olympijs. Quam cum dixit (qui modi dici consueuerunt) aut intellexit modos qui dicuntur ex quo, qui multiplices sunt, vt explicatum est, aut quemadmodum quidam interpretatur, modos significat, qui ab idearum auctoribus afferri solent. Hi namq; indagantes idearum participatio ad quem modum efficiatur: vel sic efficitur, vt aiunt, in singulis particularibus insit idea, vt verbi gratia in singulis hominibus ipse homo habeatur, aut in singulis pars insit ideæ, vel sic vt idea sui participibus quasi exemplar sit, quorū duo priores participandi modi sunt, vt paulo ante ostendimus, impossibiles, & ipse in Eudoxi mentione docuit his verbis, sed aduersus hanc sententiam multa incommoda & impossibilia conferre in promptu est, quibus subiicit (Neq; vllō eorum modorum ex ipsis formis sunt cetera, qui dici cōsueuerunt) quasi dicat, neq; ex ideis cetera fiunt reliquo modo ex ijs qui traditi sunt. hoc enim demonstrato, planum erit nullo modo fieri posse ex ijs qui dici consueuerunt. hic autē modus est, qui ceteris rebus ideas velut exemplaria esse tradit: cuius continuo mentionem facit dicens. (Dicere autem exemplaria) siue ob hoc verba illa intulit, siue vt innueret ex modis, qui ex aliquo dicuntur, nullo ex ideis cetera fieri posse. Deinde transit ad id quod isti dicebant, ideas esse quasi exemplaria. Est autem sensus, putare ideas esse exemplaria, & hoc esse nostratia ideis quasi exemplaribus participare, inane dictu est, & poetis translationibus simillimum, quoniam translationes poetis sunt familiaris. Exemplar autem a pictoribus qui ad exemplar pingere dicuntur, translatum est. Porro ideas exemplaria vocare, plenum esse ineptiarum docet cum ait. (Quid est enim quod ad ideas respiciens operatur?) quia si exemplaria sunt, aliquid esse oportet, quod ad ipsas operetur, vt pictores ad exemplaria pingere notantur.

Ideæ, an
exempla-
ria sint.

Dicere autem, exemplaria esse, resq; ceteras ipsorum esse participes, superuacaneū est, & translationibus poeticis simile. Quid est enim quod ad ideas respiciens operatur? Et insuper & esse quoduis & fieri simile potest, etiam si ad similitudinem illius nō producat. Quare & si sit & si non sit Socrates, fieri potest qualis est Socrates ipse. Simili modo fieret & si Socrates perpetuus esset.

(Dicere autem exemplaria esse, resq; ceteras ipsorum esse participes, ineptire est, & poeticis translationibus vti.) Postq; inquisiuit ideæ quomodo, & cuiusmodi rebus sunt causæ, ostēditq; ipsas neq; motus, neq; scientiæ, cognitionisve, neq; omnino existendi his rebus esse causas, nec item has res ex ideis fieri aliquo modo ex appellatis ex aliquo, merito nomen participationis, quod isti vsurpant, dum ideis tanq; exemplaribus cetera participare dicunt, velut inane reijcit. Ad hunc igitur modum ait docere, est inania dicere, & translationibus more poetarum vti: quoniam qui in ideis vtuntur verbo participare, nihil significat ex ijs quibus particeps participat. Hanc porro doctrinam inanē esse paucis ostendit, dicens. (Quid est enim quod ad ideas respiciens operatur?) Cernimus enim hominem ab homine generari, singularem videlicet a singulari, & equum ab equo, simili cæterorum ratione, quorum nullum in ideam intuens efficit quod efficit, sed cuiusq; generatio & ordo naturalis habetur, principium altero præbente, altero excipiente & conseruante, & ipsum per ordinem quædam ducente. Sed neq; scientia præditi, ea quæ ad scientias pertinent ideam quāpiam spectantes conseruati docet falso ideas exemplaria esse dici. Nam etsi formas, hoc est ideas esse concedamus, & hæc nostratia similia illis generari, non protinus ideæ fuerint horum exemplaria, nisi efficiens ad ipsas spectet, cum fieri possit, vt nonnullis aliqua similia efficiantur nullo assimilante, neq; ad illa, dum efficit, intuente, quod Socratis exemplo aperte demonstrat. Neq; enim si Theætetus similis est Socrati, statim ei est assimilatus. Nam non modo Socrate viuento valet quisquam ei similis fieri, licet non sit assimilatus, vt verbi causa Theætetus, sed etiam cum Socrates nullus est. Potest enim etiam nunc

Ideas exē-
plaria non
esse.

aliquis & esse & generari talis, qualis olim Socrates erat. Quod si non existenti quidq̄ simile generatur, satis planum fit, quibusdam aliqua effici similia, etiam nullo assimilante, aut in exemplar inueniente. Nam vt qui non existenti similis est, is non est factus ad illius exemplar, sic licet forma sempiterna sit, & huiusmodi quandā naturam esse concedamus, non tamen similitudo eius fuerit quasi ad exemplar, vtique cum sit nullus qui ad illius exemplar operetur. Hoc autem dictum esse videtur ad imminuendas quasdam rationes, quibus ideæ & intelligentiæ esse confirmantur, quæ licet sint, non protinus hæc ad ipsarum exemplar efficiuntur, cum nullus ad illas spectans hæc efficiat. Nam quod rerum naturalium nihil neq; fiat, neq; factum sit ad exemplar idearum, posset aliquis huiusmodi ratione demonstrare. Si mundus est sempiternus, & eorum quæ nunc natura fiunt, nihil ad exemplar efficitur alicuius ideæ, ne superiore quidem tempore quidquam est ad hunc modum effectum. sed mundus sempiternus est, vt aiunt, & eorum quæ nunc natura fiunt, nihil efficitur ad exemplar alicuius ideæ, vt ostendam, ergo ne priore quidem tempore. Cuncta enim eodem semper modo in sempiterno mundo efficiuntur. At si hoc verum est, ideæ non erunt exemplaria. Nihil autem ex ijs quæ nunc natura fiunt, effici ad exemplar idearum, hinc potest planum fieri. Quæcunq; efficiuntur, sunt ea quæ sunt aliqua singularia, & ab aliquo singulari generantur, ac proinde quæ natura gignitur, vt homo hic ab homine illo generatur, hic equus ab illo equo, hæc vitis ab illa vite, sed quidquid per naturam aliquid efficit, id per naturam sibi insitam operatur, hoc est per causam & principium quod in ipso habetur, & potentiam, qua valet aliquo modo moueri. Ea namq; natura sunt, & naturam obtinent, quibus in ipsis principium motus inest, per quod hæc aliqua esse dicuntur, & non per accidens. Et equus equum per sibi insitam naturā procreat, at neq; homo neq; equus aliudve eorum quæ natura gignunt efficiuntq;, intuens in exemplar suo fungitur munere. Neq; enim omnino simul atq; res futura quomodo fieri debeat, considerauit, facit quod facit, vt in artibus fieri notamus. ob hanc enim causam artes ijs tantum contingunt, quibus huiusmodi prouidentia circa res artificiosas suppetere potest, hoc est hominibus tantum. per naturam autem non modo a rationis expertibus, sed etiam ab inanimatis multa efficiuntur. Eorum igitur quæ nunc quidquam natura efficiunt, nullum ad exemplar suum munus absoluit. quod si haud nunc fit, ne ante quidem efficiebatur. Nam quæ natura fiunt, eorum generatio semper similis est. Porro quæ natura fiunt, ad numeros quosdam definitos & ordinatos fiunt, cum neq; fortuna, neq; casu fiāt. idcirco enim homo generat hominē. * Qua causa ducti sunt, vt putarent naturam in aliquod exemplar intuētē effectus suos perficere. Id quidem partim vere dicitur, partim secus. opera enim naturalia ordine quodam, ac numeris quibusdam definitis cuncta fiunt, non casu aut fortuna, non tamē ad exemplar. Neq; enim natura intelligēdo suo munere fungitur. hæc enim facultas rationis est expertis, licet causa sit, vt motus sic ordinem seruet, vt primum secundus consequatur stato quodam ordine, non per quandā ratiocinationem, hunc protinus tertius, donec motus finem, cuius causa fiunt, assequantur. quem ordinem ars, quæ duce ratione opera sua conficit, imitata est. Ars enim potentia quædam est rationalis, natura vero facultas quæ ratione vacat. Quod si quis naturam artem quandam diuinam esse putet, quæ nihil citra rationem efficiat, & cui munere diuino datum sit vt ad certum & determinatum exemplar opera sua conficiat, is quidem in magno versetur errore. Neq; enim natura sic esse diuina dicitur, quali hac arte vtantur dii immortales, sed quia cum deorum beneficio sit, constantiam motus ordine quodam congruenti conseruat, non per rationem, & intellectum, sed quoniam a dijs est, a quibus munere donata videri potest, non quod ad exemplar operetur. nam quomodo ad exemplar, quod minime intelligit, quidquam efficiat: sed quia constanti motuum ordine citra rationem opus efficit simile efficienti in quo est, & vnde principium sumit. Præterea in rebus quoque malis, quæque præter naturam fiunt, licet constantiam inuenire, vt in abscessibus, vulneribus, tumoribus, morborumq; ambitibus. Quid: quod animalia quædam constantes habent generationes, non tamē ad ideam, vt vermes, culices, & cicadæ?

Ad exemplar idearum res naturales nō fieri.

Ars, ratio nalis potentia, non autē natura.

Constantia rerum.

Præterea exemplaria plura eiusdem erunt, quare & formæ, vt hominis, animal, & bipes, & insuper ipse homo. Præterea formæ nō sensibilibus solum, sed ipsarum etiam formarum exemplaria erunt, veluti genus ipsum, vt specierū genus. Quare idem erit exemplar, atque imago.

70 Præterea exemplaria plura eiusdem erunt, quare & formæ. Verba quæ hinc pertinent vsque ad illum locum, (præterea fieri non posse:) in quibusdam exemplaribus non habentur, quo factum est, vt cum perobscura sint, a nullo tamen fuerint explicata. Cæterum his verbis hoc incōmodum idearum auctores sequi demonstrat, quod si illa sint horum exemplaria, vnus rei complura exemplaria habebuntur, eiusdemque complures erunt ideæ. Nam si homo & animal est, & bipes, & homo, & hæc discrepant inter se, cuiusque horum habebitur exemplar, & idea, & homo particeps erit ipsi hominis, ipsi animalis, & ipsi bipedis. Quod si cum sint inter se discrepantia, in ipsi homine insint, vtique idea iam non erit simplex, sed ex ideis conflata. At si hæc singula sunt ideæ, idea prior idea fuerit, quoniam ipsi animal ipsi homine prius habebitur. animal enim genus est ipsi hominis, aut erit idea sine animali. sed hoc fieri non potest, quoniam ipsi homo ipsi animali participat. siquidē ille animal

est, quo fiet, ut sit ipse homo non solum hominis, sed etiam animalis quoque exemplar, prorsus ut ipse hominis & animalis una sit imago. participat enim animali, nec solum ipsi animalis, sed etiam ipse bipede. Itaque una multis ideis participabit. Nam si homo est aliquod ens, nimirum homo non erit hominis participatione bipes, cum animalia bipeda sint. Præterea si animal, ut sit animal, non ex hoc habet quod sit homo, profecto nec ut bipes quidem sit, habet ab hominis idea, & sic concedetur haud omnino sensibilia esse propterea, quod ad idearum exemplar sint. Iam in ideis aliud erit prius, aliud posterius. Quod si ipse homo non est ipsi animalis particeps, animal tamen est, nimirum nostras animal nihil est necesse ut participatione ipsi animalis animal sit, ac proinde nec ipse hominis. Dicere enim ipse hominem, cum homo sit, non esse animal, admodum est absurdum. Præterea formæ, non sensibilibus solum, sed ipsarum etiam formarum exemplaria erunt) hoc quomodo fiat, supra est a nobis explicatum. Nam ipsi animal ipse hominis erit exemplar. genus enim suarum specierum exemplar erit, propterea quod unaquæque species suum est genus, & sic fiet, ut formæ quæ sensibilibus exemplaria sunt, idearum sint imagines.

Præterea fieri non posse videbitur, ut hæc sint seorsum, substantia inquam, & id cuius dicitur substantia esse. Quare quonam pacto seorsum erunt ipsæ ideæ, si sunt substantiæ rerum? In Phædone autem & ut sint ipsæ res, & ut fiant, causæ formæ dicuntur. Et tamen non fiunt ea quæ sunt, etsi sunt formæ, nisi sit id quod est moturum: & insuper multa alia fiunt, ut domus ac annulus, quorum non dicimus esse formas. Quare patet & cætera etiam & esse, & fieri posse, & per tales causas per quales fiunt, & ea quæ modo sunt dicta. Præterea si formæ sunt numeri, quonam modo causæ erunt? Ex eo ne, quia ea quæ sunt, alii numeri sunt, ut hic quidem numerus homo, hic autem Socrates, hic vero Callias? Cur igitur his illi sunt causæ? Nihil enim refert, si illi quidem perpetui sunt, hi vero non sunt.

Præterea fieri non posse videbitur, ut hæc sint seorsum, substantia inquam, & id cuius substantia dicitur esse) Sensus est, fieri non posse, ut alicuius substantia ab eo separetur, cuius est substantia. Nam cuiusque substantia in ipso est. Si ergo ideæ substantiæ rerum sunt, non sunt ab ipsis rebus seunctæ. si autem seunctæ sunt, non sunt ipsarum substantiæ. sed qui definitiones rerum nostrarum per ideas fieri tradunt, ipsi sensibilibus substantias ideas esse faciunt. Definitiones enim cuiusque substantiam explicant, & per formas proprias efficiuntur, cum id cuiusque sit esse, quod definitione per propriam substantiam explicatur, & ad hunc modum ideæ rerum nostrarum essent formæ. In Phædone autem, ut sint ipsæ res, & ut fiant, formas causas esse dicimus.) Dicimus autem eadem ratione, qua supra, ut hanc opinionem sibi cum Platonicis communem esse innuat, ostenditque falso in Phædone tradi formas esse causas ut sensibilia & sint, & efficiantur. Nam ut supra dictum est, fieri non potest, ut substantia ab eo absit, cuius est substantia. Dixit, ut sint hæc res, & ut fiant. nunc docet ideas non esse causas ut res nostras fiant. Nam licet formæ sint, non tamen erunt causæ, ut res ad exemplar sui efficiantur. Nisi enim adsit motor & efficiens, nihil ad illarum exemplar efficietur, cum ideæ non sint causæ ut efficientes. Porro efficiens causam esse, non exemplar efficiendarum rerum, inde concluditur, quia plerumque sunt & fiunt, quorum ideas esse negant, ut opera artificiosa. Nam neque domus, neque annulus ad ideam efficiuntur. Quod si hæc, quorum nullæ sunt ideæ, nihil neque fieri, nec esse prohibet, quoniam eis efficiens adest, ne illa quidem quorum ideas esse aiunt, quo minus & sint & efficiantur, etiam si nullæ sint ideæ, quidquam obstabit. Nam quibus causis fiunt ea, quorum ideas esse negant, harum similibus fient ea quorum ideas esse aiunt. Et ut illa per artem ad nullam ideam fiunt, sic opera naturalia citra exemplar per naturam edentur. Genitor enim artificii, formis vero ei quod pro materia est, proportionem respondet. Exemplaris enim nullus est usus, nisi quis ad ipsum operetur. at efficiens nihilo prohibetur ne citra exemplar suum munus valeat obire, ut in artificiosis fieri ipsi consententur. Præterea si formæ sunt numeri, quonam modo causæ erunt? Per hanc opinionem, qua ideæ numeri esse censentur, propositum probare tentat. Nam si ideas illi numeros esse dicebant, ideæ autem numeri esse non possunt, haud dubie per ipsos nullæ sunt ideæ. Præterea si ideæ numeri sunt, quomodo, inquit, erunt cæterarum rerum causæ? An quia cætera quoque numeri sunt, nihilo secius, quam ideæ? Alii numeri, id est diversi ab ideis & inter se, quemadmodum ideæ sunt inter se diversæ, & alius numerus est homo, alius equus, alius Plato, alius Socrates, & res inter se numerorum discrimine distant. quod si verum est, quomodo idearum numeri, his numeris erunt causæ, in quibus numeris res insunt? Nam si sunt hi numeri illis æquales, ut sit verbi causa quaternarius numerus & ipse homo, & homo sensibilis, sed alter quaternarius sempiternus sit, alter secus, quomodo ille quaternarius erit huic causa existendi? cum æquales numeri non sint alter alteri existendi causa quomodo enim numerus numero causa esse potest existendi?

Quod si propterea quod ea quæ sunt hic, rationes sunt numerorum, ceu concentus, patet unum quid esse ea, quorum sunt rationes. Quod si id est materia, patet & ipsos

Definitio
num pro-
prietas.

Exemplaris
usus.

numeros quasdam fore quorundam inter se rationes. Dico autem hoc pacto, si Callias sit ratio in numeris ignis & terræ & aeris atque aquæ, & aliorum subiectorum quorundam, & ipse homo siue numerus sit quidam, siue non sit, ratio tamen quorundam in numeris, & non numerus erit, neque ob hæc numerus quidam erit.

72 Quod si propterea quod ea quæ sunt hic, rationes sunt numerorum.) Propositum ipsi est ostendere, ideas, si numeri sunt, non posse his rebus esse causas. quamobrem hoc primum sumpsit, has res, quæ ad illarum exemplar fieri dicuntur, ab his numeros esse dici, non quidem sempiternos, sed illis sempiternis æquales, docuitque numeros æquales, æqualibus numeris causas esse non posse, etiam si alteri sempiterni sint, alteri secus. Nunc cōtra sumit has res ab istis non numeros esse dici, sed in quasdam numerorum ratione constare, quod & illi dicere volunt, docetque ne sic quidem ideas illosque numeros his rebus quæ in numerorum ratione consistunt, causas esse posse. qui, ut ostendat quid sibi velit hæc oratio, hæc esse numerorum rationes, apponit concentus similitudinem. Concentus enim non est numerus, sed ratio quædam seu proportio numerorum, id est res rationem quandam inter se numerorum habentes. Nam esse in proportione dupla, est esse ratione numerorum, qualis est cōcentus appellatus diapason, cuius esse est in dupla proportione esse. Rursus alterius concentus in sesquialtera, alius in sesquialtera. Quæ omnia numerorum sunt rationes. si ergo res omnes rationes esse numerorum quisquam statuerit, non tamen sic fiet, ut ideas illique numeri his rebus sint causæ. Si enim hoc detur, non iam in illis erunt numeri. Nam si hoc detur, haud dubie aliqua in ipsis habentur, quæ huiusmodi obtinent rationem, in qua ratione ipsorum cuiusque esse consistat, ut concentus, qui est ratio numerorum, vnum subiectum habet, & suppositam quandam naturam, cuius definitio & ratio est concentus. hoc autem subiectum est sono ipsi. Ergo si res quæ dicuntur ad ideas esse, habent esse in ratione numerorum, aliquod subiectum est in ipsis, quod rationem numerorum excipiens, iam homo, iam aliud quiddam pro discrimine rationum efficitur, ut concentus pro diuersitate rationum seu proportionum quæ in sonis habentur. Hoc autem nihil aliud esse reperietur, quæ subiectum, & materia, in cuius numero & ratione quadam singula sensibilia erunt: ut verbi causa in proportione ignis, aeris, aquæ & terræ, si quodve aliud hoc esse statuatur. In horum namque mutua proportione, quæ ex ipsis fiunt, esse & formam sortiuntur. quod si ita est, ipsas quoque ideas, quæ harum rerum sunt exemplaria, non numeros simpliciter, sed rationes esse numerorum oportebit. Nam si Callias exempli gratia, vel homo qui ideas assimilatur, est ratio in quibusdam numeris ignis, terræ, aquæ, aerisque, aliorumve subiectorum, idea ipsi homo, quæ numerus esse dicitur, cui assimilatur homo, erit ratio seu proportio in numeris, aut ipsorum numerorum, si hoc subiectum est in ipsis. hoc enim significat per verba illa (siue numerus sit quidam, siue non sit numerus, neque per se numerus) Neque enim numerus causa esse potest eius quod est in ratione numerorum, quia in eodem numero fiunt diuersæ proportionales, ut in sexdupla, & sesquialtera. quo fit, ut idea non sit simpliciter numerus. neque enim numerus idem est quod proportio in numeris. non igitur idea est ipsi numerus: quare vel ideas numeri non sunt, vel non sunt causæ ijs quæ habent esse in proportione numerorum. Hæc autem ratio primum sententiam refellit qua ideas numeri esse putantur, deinde compositas, non simplices ipsas esse ostendit. Si enim proportionales numerorum ex pluribus sonis constant, in ipsis quoque ideis aliquod subiectum esse conuenit, quod in proportione numerorum ipsarum cuique suum esse efficiat. Hinc autem sequitur, ne numerum quidem aliquem esse. Si enim ipsi numerus non est, ne numerus quidem erit, neque res quæ ad exemplar numeri esse dicuntur. si numerus non est, numeri proportio esse qui potest? Quare in proportione numerorum res esse, non est horum dictis consentaneum. Illud autem, Neque ob hæc numerus quidam erit) huiusmodi est, nec propterea idea numerus erit, quoniam non protinus est numerus, si quid est in numerorum proportione.

Præterea multis ex numeris vnus fit numerus, ex formis autem quomodo forma vna fieri potest? Quod si non ex ipsis, sed ex vnitatibus quæ sunt in numero, ut in centenario fiunt, quoniam pacto vnitates se habent? Nam si eiusdem sint speciei, complura euenient nimirum absurda. si non eiusdem, nec eadem sint inter se, nec cæteræ omnes, quo different, cum expertes sint passionis? Neque enim consona sunt hæc rationi, neque consentanea menti.

73 Præterea multis ex numeris vnus fit numerus, ex formis autem quomodo forma vna fieri potest? Hac quoque ratione ideas numeros esse non posse docet, quoniam ex multis numeris simul positus vnus efficitur numerus, ut tria & quatuor coniuncta inter se septem efficiunt. At ex pluribus ideis coniunctis non potest effici vna idea, cum canis forma, & forma hominis, exempli gratia coniunctæ, vnam formam non efficiant. Neque enim quoniam in homine animal continetur, idcirco homo ex animali, aliaque forma compositus est, cum animal non sit forma per se subsistens, neque homo absque animali queat esse homo, sed animal est pars cuiusque animalis subsistentis. At numerorum quicumque habetur in cōposito, saluus ipse pars totius efficitur. Non igitur ideas numeri fuerint,

Ideas nō esse numeros

Cōcentus quid.

Numerus
omnis ex
vinitate
constituitur.

Situs vnius
differentia
in vinitates
cadit.

Mathema
tica.

Quod si quis ideam quam ex pluribus conflata esse dicat, ut hominem verbi causa ex animali & bipede, primum ideam iam per istos non erunt simplices, sed compositae, deinde aliae priores erunt, aliae posteriores. Prior enim est forma animalis, posterior autem hominis vel equi forma. Praeterea ex quibusvis discrepantibus numeris vnus numerus efficitur, non item ex quibusvis diuersis ideis idea vna effici potest, ut ex equo & cane. Iam quae rem aliquam componunt, ea separatim existens in compositionem veniunt, hominem autem & animal nunquam separata vel sumere vel intelligere licet. (Quod si non ex ipsis, sed ex vnitatibus, quae sunt in numero, ut in ceterario fiunt, quoniam pacto vnitates se habent? Nam si eiusdem sint speciei, complura convenient nimirum absurda, si non eiusdem, nec eadem sint inter se, nec caeterae omnes.) Si quis, inquit, idcirco neget ex ipsis formis coniunctis vnam formam constitui, quia ne in numeris quidem hoc vsu veniat, ut ex numeris coniunctis vnus exeat numerus, sed ex vnitatibus, cum omnis numerus constituatur ex vnitatibus, non ex trinitatibus, aut quaternitatibus, si plures numeri sunt, quoniam decies mille numerus ex vnitatibus, non ex millesimis, aut centenariis numeris constat, aut si ex his constat, non tamen ideas numeros esse dicere solent, quatenus ex numeris vnus numerus efficitur, sed quatenus ex vnitatibus conflatur, si quis ergo ad hunc modum edisserat, operis pretium fuerit, ex eo perquirere, vnitates earum, ex quibus coniunctis conflantur ideae, utrum inter se speciei similes, an dissimiles sint. Nam si sunt eiusdem speciei, multa inquit incommoda consequentur, quae ipse hoc in loco tanquam nota silentio praetermittit, sed in duodecimo libro latius persequitur. Hinc enim sequitur omnem vnitatum compositionem ideam efficere. Nam si omnes vnitates sunt eiusdem speciei, cur aliae ideam conficiant, aliae non ite & tunc omnis numerus erit idea, non tantus numerus, neque ex tot vnitatibus, ex quot ipsis placet confici ideam, siquidem omnes vnitates ex quibus fiunt, eiusdem sunt speciei. Ad haec omnes inter se ideae cum nihilo differant, praeterquam vnitatum multitudine, eiusdem erunt speciei: ac proinde quae ipsis participant, eadem speciei continebuntur. At rationabile & irrationabile non quorūpiam multitudine, sed quadam potius qualitate differre videntur. Siquis enim dicat irrationabile in paucioribus vnitatibus consistere, dubium non est, quin si addas irrationabili vnitates, quibus a rationabili superatur, irrationabile futurum sit rationabile. Atque haec quidem incommoda sequuntur, si vnitates eiusdem speciei esse ponantur. Sin speciei vnitates inter se discrepare dicantur, quae incommoda sequuntur, ipse declarat. Nam si neque communes inter se sunt speciei similes, neque omnes omnibus, nec ipsae quidem quae sunt eadem speciei, hoc enim significat id quod ait, Neque eadem inter se.) sed est in ipsis aliqua differentia, ut haec vnitates, idearum sunt effectrices, illae non item, vel haec harum, illae illarum, quae tandem differentia in ipsis erit, cum omnes perpetiundo sint ineptae, nec aliquam cuiusvis rationis differentiam in se admittere valeant? Sola enim situs differentia, ut ipse ait in primo de anima, cadere potest in vnitates, sed vnitates quae situm habent, non iam vnitates simpliciter, sed signa & puncta sunt. Nihil enim horum intellectui qui de vnitatibus habetur, est consentaneum. Sed quod ad dictionem pertinet, quia dixerat (quo pacto vnitates se habent) declarat peres quid querat quomodo se habeant, num scilicet oporteat ipsas inter se eiusdem esse speciei, an diuersae.

Praeterea genus aliud conficere numeri, circa quod Arithmetica versetur, necesse est. Et omnia quae a quibusdam media nuncupantur. Quae quomodo sunt, aut e quibus principiis sunt, aut cur horum & ipsorum media erunt? Praeterea vtraque vnitates quae est in dualitate, ex alio erit priore, ex ipsa inquam dualitate, at fieri nequit. Praeterea propter quid numerus vnum est comprehensus?

Praeterea genus aliud conficere numeri, circa quod Arithmetica versetur, necesse est. Si vnitates, inquit, speciei differunt inter se, nec omnes omnibus speciei sunt similes, haud dubie aliae fuerint vnitates, ex quibus ideae constituuntur, aliae quibus vtuntur Arithmetici, ac proinde aliud erit genus numeri in quo versatur Arithmetica, aliud eorum ex quibus ideae conflantur. atque eadem ratione cuncta Mathematica erunt in alio genere, id est, Mathematica speciem aliam habebunt numerorum. Mathematica enim sunt quae inter ea quae fiunt ad exemplar idearum, hoc est formas sensibiles, quaeque in sensibilibus habentur, & ipsas ideas interiecta esse dicuntur. Haec igitur quae subiecta per istos sunt Mathematicis, quaedam alia genera, & alterius erunt speciei, utique si est numerorum formalis differentia, quae habetur inter eos ex quibus haec constant, in quibus versantur Mathematici, & eos ex quibus ideae constituuntur. istis enim principia quoque Mathematicorum numeros esse placet, siquidem omnium rerum simpliciter diuersa erunt genera. Simpliciter dicit, loquens de Mathematicis. Aut ex quibus, inquit, principiis per istos erunt, nisi ex ijs ex quibus fiunt ideae, & numerus formalis: quae omnium rerum principia esse statuebant. Praeterea quomodo per hos Mathematica sensibilibus ideis que possunt interesse, cum diuersae naturae sint, & ex alijs principiis conflata? Nam quae media sunt aliorum, communitate quadam & proprietate media sunt. At haec quae alterius & generis & naturae sunt, idearum, atque eorum quae ad idearum exemplar esse dicuntur, media esse qui possunt: cum neque ideae ab harum alterutris differant, haec illa rursus ab alijs. haec enim alijs principiis indigent. Nam quae ex abstractione sumuntur, media sunt, at non sunt abstracta quibuspiam, si constent

ex principijs. Idcirco itē Mathematica media esse dicere non conuenit, quoniā inter hominem, equū substantialēq; sensibiles, & ideas, nulla media esse dicebant: sed hoc in numero & mathematicis asserant. quod temere ac sine causa dicitur. Horum & ipsorum media) Ipsorum, id est idearum. Nam per additionem uerbi ipsi, solent ideæ significari. Præterea vtraque vnitas, quæ est in dualitate, ex aliquo erit priore, ex ipsa inquam dualitate) quoniam dualitas est principium. Videtur autem dualitatem infinitam dicere. Res vero omnes aut principia sunt, aut ex principijs. Sunt autem in dualitate, quæ ab ipso principiū esse statuitur, vnitates. hæ nanq; principia non sunt, cum hæc dualitas sit principium: profecto vnitates quæ ab ipsa dualitate habentur, ex principijs constituentur. Ex quibus igitur: necesse est enim vtranque ipsarum ex dualitate consistere. At per absurdum est dictu, partes dualitatis ex dualitate constare, & vnitatem ex dualitate fieri. neque enim vtraque horum dualitatum in vnitate contentarum referetur ad vnitatem, quæ principium informans quodammodo dicitur. hæ nanque multo priores sunt quàm illa dualitas. Itaque vnitates quæ sunt in dualitate, priores erunt ratione quàm ipsa dualitas, siquidem ab his esse dualitati suppetit. Est autem principium eius quod ex aliquo fit id ex quo fit. At hoc fieri non potest, si dualitas principium esse dicatur. Fiet nanque vt principij principium habeatur, & aliquid sit principio prius. Præterea propter quid numerus vnum est comprehensus?) quoniam idea quæque vnum est, eademque numerus esse dicitur, quare vnus est? & cui numero, qua vnitate adiuncta, quod ex ipsis conflatur, vnum efficitur? aut à quo in specie & vnitate constituitur? breuiter, quomodo vnum efficitur? Nam si non est vnus, ne idea quidem est numerus, quoniam idea vnum est. Sin autem vnus, quare vnus est? aut à quo ipsi vt sit vnus suppetitur? Siquid enim est, quod numeros in vnitate constituat, efficiatque ideas, iam non ideæ principium in numeris fuerint, sed illud potius quod ipsos a multitudine afferit, & ipsorum quemque vnum efficit. Decas enim aliud est quàm decem.

Ipsi, verbū additum, ideæ nota.

Insuper si vnitates diuersæ sunt, oportebat eos perinde dicere, atque ii dicunt, qui elementa quatuor aut duo asserunt esse. Nam horum non elementum esse dicit quisque ipsum commune, veluti corpus, sed ignem ac terram, siue sit corpus ipsum commune, siue non sit. Nunc autem perinde dicitur, ac si vnum ipsum similitum esset partium, vt ignis vel aqua. quod si ita sit, numeri substantiæ sane non erunt. At patet, si est quid vnū ipsum, atque id est principiū, multipliciter vnum dici. secus enim est impossibile.

75 Præterea si vnitates diuersæ non sunt.) Si legatur diuersæ non sunt, sensus erit. Qui vnum principium esse constituunt, ijs hoc incommodum accidit, vt commune prædicatum eorum elementum esse dicant, quibus est commune. quod fieri non potest. Nam si vnitates sunt eiusdem naturæ, vnitas erit commune ipsarum prædicatum. At commune posterius est, & ab his & in his habet vt sit. quod incommodum eis accidere docet, quoniam vnitates sunt eiusdem speciei. esse nāque eiusdem speciei pro confesso posuit. ac si eiusdem speciei sunt, vnitatem similiter sumptam, quæ de omnibus vnitatibus communiter dicitur, velut speciem sumit. Neque enim vnum simpliciter principium ad hunc modum statuere debebant: sed vt ij quibus elementum corpus esse placet, qui non corpus commune, elementum esse dicunt, sed aliquid definiunt ex ijs quæ communi subiiciuntur, exempli gratia ignem vel aerem, quod iam est cum aliqua differentia, idque elementum esse tradunt. Corpus enim simpliciter, cōmune est omnibus corporibus, quæ in eo quod corpora sunt, nullum inter se discrimen habent. Nam neque corpus commune est, quod possit esse elementum: neque aliud commune, quod ipsum per se non est commune: quippe cum ne id quidem constet, an commune aliquid omnino sit. Sic igitur hos vnū aliquid definire oportebat, idq; principium esse statuere, vt quibus corpus aliquod elementum esse placebat. Nunc autem vnum simpliciter principium esse dicunt, quasi multæ sint vnitates, & inter se disiunctæ, & vnum de ipsis communiter dicatur, non autem quasi vnitas vnumque totum aliquod sit, idemque simile, habeatq; partes sibi similes vnitates, vt ignis & aqua. quorum vtrunq; cum sit vnum, quoddam similibus partibus est. Quod si ita sit, numeri substantiæ sane non erunt) id est, quod si ad hunc modum vnum dicant, vt simile, non iam ipsi numeri substantiæ erunt, & ideæ: sed subiecta & materialia. huiusmodi enim similia sunt. præterea si totum sit materiale, non erit suarum partium idea. Et cum sit forma proprie substantia, numeri tamen materiæ, non formæ rationem habebunt. Sed fortasse alius est sensus ad hunc modum. Quod si vnum tale esse dicunt, vel quasi vnā naturam exempli gratia ignem aut aquam, & tale vnum putent esse principium, non iam his numeri erunt substantiæ, neque ideæ, neq; principia, cum ex compositione talis non existat numerus. ex huius enim compositione vnum & idem efficitur, vt in compositione ignis: sed ideæ ac principia ex tali scilicet simili existunt, non autē aliquis numerus. Nō igitur ipsi substantiæ & ideæ numeri erunt, sed illud haud dubie si est ipsum. Quod si quid est per istos, & est principium, vnum plurifariam dicitur. aliter enim fieri non potest, vt vnum principium esse dicant. Vel illud, si ipsum vnum aliquid est, intulit quasi illud dicere sit horum placitis consentaneum. Neque enim dici potest vnum esse vt genus & commune, neque vt simile, sed quasi illud vnum, quod est vt principium, quandam præter cætera peculiarem naturam habeat: quo fieri dicit,

Vnū quomodo dicatur principium

Vnitatum
nō esse dis-
crimina.

vt vnum per istos multifariam dicatur, sitque de numero æquiuocorum. At supra docuit, si hæc illis sint æquiuoca, illa non esse horum exemplaria. Porro illud manifestum est, si ipsum vnū est aliquid per istos, & hoc ipsum principium est alterius naturæ præter cæteras vnitates, consequens esse, vt vnitates multifariam dicantur, nec sint eiusdem speciei. quod est haud dubie alienum. Nam quæ pos- sunt vnitatum esse discrimina, & quæ rationes differentes? vt illud perspicuum sit, illam vnitatem neque ideam neque exemplar horum fore. Verū tamen dictio non sic mihi habere videtur, Insuper si vnitates non sunt diuersæ, sed ad hunc modum, si vnitates sunt diuersæ, de hoc enim diserebatur, & hoc ipsis placebat, vnitates discrepare, & alias esse vnitates quæ in ideis habentur, alias vero Ma- thematicas. Si ergo dictio ad hunc modum sese habeat, sensus erit, Si vnitates per hos diuersæ sunt, neque omnes eadem specie continentur, sic definiendum his erat, vt certam aliquam vnitatem ele- mentum & principium esse dicerent, non simpliciter vnitatem, quod commune est. Vt enim qui de principijs corporeis edisserunt, ij non corpus simpliciter elementum esse dicunt, sed quoniam cor- pora inter se specie differunt, determinant docentque ex corporibus quod sibi elementum esse videa- tur, aer videlicet, aut ignis, vel aliud simile, non ipsum commune corpus simpliciter. Siue enim com- mune corpus aliquid est diuersum ab ijs ex quibus dicitur, siue secus, certe ipsum elementum esse ne- gant. Alioquin non magis aliquod eorum quæ dicunt, elementum esset, quam quodpiam aliud eor- um de quibus corpus dicitur. Vt igitur illi differunt, sic his erat determinandum, explicandumque, quale vnum elementum ipsis esse placeret, & qualem vnitatem, cum sint vnitates diuersæ. At nunc cum simpliciter vnum dicant, sic loquuntur, quasi omnes vnitates specie similes, ac sine discrimine fo- rent. Hoc enim significauit cum diceret, Perinde ac si vnum ipsum similitum esset partium, vt ignis vel aqua. Nam dicens similitum partium, docuit mutuam vnitatum similitudinem, & speciei societa- tem. Quod si ita sit, numeri substantiæ sane non erunt. Numeri, id est ideæ, de his enim numeris lo- quitur. Nam si omnes vnitates eidem speciei subiiciuntur, quemadmodum numerus nostras non est substantia, sic ne ille quidem qui ex vnitatibus constituitur nostro numero specie similibus. Illi ta- men haud dubie non ita diserebāt, sed vnum quiddam diuersum, ac specie dissimile cæteris haberi, idque principiū esse statuebant: quod si verum est, vnitates non sunt specie similes, sed vnum multi- pliciter dicitur. Alias enim fieri non potest, vt vnum principium esse dicatur. Quamobrem definiē- dum erat, quale vnum principium esse placeret. sed qui vnitates specie differre tradunt, ijs occurrit illa quæstio de qua supra dictum est, quænam est vnitatum differentia, cum sint vnitates perpeffio- nis immunes.

In principia autem substantias volentes redigere, longitudines quidem ex breui ac longo, paruo magnoque ponimus, & planum ex lato atque angusto, corpus autem ex profundo ac humili. At quonam modo planum habebit lineam, aut solidum lineam atque planum? Aliud est enim genus latum atque angustum, & profundum ac humile. Vt igitur neque numerus inest in ipsis, quia multum ac paucum ab his est diuersum, sic patet nec aliud quicquam inferis superiorum inesse. At vero neque latum ipsum ge- nus est ipsius profundi, esset enim corpus ipsum quid planum.

Magnū &
parū, en-
tiū princi-
pia.

Linea.
Superficies
Solidum.

In principia vero substantias volentes redigere, longitudines quidem ex breui, ac longo, paruo, magnoque ponimus) Ponimus dixit, vt constet oratio supradiētis. Nam de idearum opinione ve- lut de propria differit. Explicat autem istorum placitum, de quo in libris quoq; de philosophia men- tionem fecit. Volentes igitur entia, semper enim substantias intelligit cum entia dicit, hæc igitur en- tia volentes ad principia, quæ ipsi statuebant redigere (erant autem his entium principia magnum & paruum, quam indefinitam dualitatem vocabant) in hanc ergo cuncta redigere volentes, longitu- dinis principia breue & longum esse dicebant, quasi ex longo quodam & breui, id est magno & par- uo longitudo generetur, vel quasi tota linea sit in horum altera, plani autem angustum & latum, quæ & ipsa magnum & paruum sunt. Quibus explicatis subiicit incommodum quod hanc sequitur opinionem, dicens: At quomodo planum habebit lineam, aut solidum lineam atque planum.) Sen- sus autem est. Corporis, quod solidum est, superficies videtur esse terminus, quam planum vocat: su- perficiæ autem seu plani linea, quam longitudinem appellat, prorsus vt in plano longitudo sit, in so- lido planities & longitudo habeatur. Superficies igitur, quam planum appellat, est longitudo obti- nens etiam latitudinem. Solidum vero, quod ad hæc altitudinem obtinet. Et hæc quidem natura ad hunc modum sese habent. At per illos, qui alia & diuersa genera esse dicunt breue & longum, angu- stum & latum, altum & humile, etsi ipsa genera sub differentia esse dicant, non autem subalterna, qui fieri potest, vt longitudo in plano sit, & hæc rursus in solido habeantur? Nam quemadmodum numerus in horum nullo est, quoniam per ipsos alia sunt numeri principia, id est multum & par- uum, quæ a commemoratis diuersa sunt, sic in his nullum superiorum est in inferioribus, id est nul- lum priorum in posterioribus. Nam horum trium primum & supremum est linea, secundum pla- nities, tertium solidum. Illa enim quàm solidum simpliciora sunt, & prius intelliguntur. Sed his or- mnibus prior est numerus. Vt igitur numerus in his nō habetur, quāquam prior sit, quoniam genus

magnum & paruum, cui subijcitur numerus, diuersum est a singulis generibus quibus hæc supponuntur, sic per istos hæc ipsa non erunt alterum in altero: neque enim longitudo erit in plano: quia longitudo ex breui & longo, planum ex angusto & lato existit, quæ sunt diuersa genera inter se. Nec itæ hæc in solido habebuntur. Neque enim illud dici potest, hæc genera inter se quidem differre, & esse diuersa, sed tamen esse subalterna, ut altum sub plano sit, & pari ratione sub longo latum, ac proinde illa in solido haberi posse, ut in aue est alatum, est item animal. Nam differentium generum ea inter se habent societatem, quæ subalterna sunt: genus enim alicuius in quid est de ipso prædicatur, & quod est sub aliquo, ut sub genere, hoc est quod ipsum genus, ut homo id quod animal, album id quod color. quare si latum est genus alti, & solidum quippiam est altum, planum vero latum, utique solidum hoc erit quod planum. Auis enim hoc est, quod animal. Atqui absurdum est dictum, corpus esse planiciem, & pari ratione planiciem longitudinem.

Subalterna genera societatem inter se habent.

Præterea ex quonam inerunt puncta? atque huic generi Plato aduersabatur, esseque geometricam opinionem dicebat, sed principium lineæ vocabat, idque lineas indiuiduas per se ponebat, & tamen harum finem quendam esse necesse est. quare ex ea ratione qua linea est, & punctum etiam est.

77 Præterea ex quonam inerunt puncta? Sensus est, signa & puncta perinde in longitudine ac linea inesse videntur, ut linea ipsa in planicie, & planicies in solido, ab illis autem natura differre, ut illa inter se differunt. Horum igitur principia cuius erunt, & hæc in quod genus redigentur, & quo pacto ad magnum & paruum referentur, & quomodo erunt in longitudine? Quæ percontatus aggredditur ad explicandam Platonis de punctis opinionem. Aitque ipsum nequaquam admittere, ut aliqua sit natura signi seu puncti, sed asseuerare hoc esse dogma quoddam & positionem quandam geometricæ, quæ in rerum natura non habeatur. Negabat igitur punctum quidquam esse, nec ipsum nominabat, quanquam lineæ principium sæpenumero vocaret, quod indiuiduam lineam dicebat. commemorat autem non Xenocratem solum, sed etiam Platonem indiuiduas lineas posuisse, quam scilicet indiuiduam lineam generi eidem, atque lineam, hoc est breui & longo subijciebant, in quæ differens ait. Et tamen harum id est linearum (finem quendam esse necesse est, siue indiuiduæ sint, siue secus. Nam linea natura quædam a plano diuersa esse videtur, non quod per se consistit. Neque enim planum, quoniam est solidi finis, non est ab ipso diuersum: quamobrem cum lineæ aliquis terminus habeatur, isque sit punctum, similiter eademque ratione punctum erit atque linea. Ita qua ratione linea planiciesque esse demonstratur, ea punctum esse confirmari potest. Magnum porro & paruum principium materiale rerum Plato esse statuebat, ut supra fuit explicatum. Nam vnum ipsi formale principium esse placebat.

Platonis de puncto sententia.

Omnino autem philosophia quærente manifestarum causam rerum, hanc quidem omisimus. Nihil enim de causa dicimus, unde est mutationis principium: substantiam autem ipsarum dicere putantes, alias quidem substantias esse dicimus. Quomodo autem harum illæ sunt causæ, dicere vane videmur. Esse enim particeps, ut antea diximus, nihil esse videtur, neque id etiam quod circa scientias causam esse videmus, propter quod & omnis mens & omnis natura facit, & quod vnum principiorum dicimus esse, ideæ, formæque tangunt, sed mathematicæ scientiæ hisce qui hac tempestate sunt, philosophia fuerunt, quanquam inquirunt aliorum gratia ipsarum studio vacare oportere. Præterea substantiam ipsam subiectam, ut materiam mathematicam, quispiam magis existimabit, & prædicari magis substantiæque atque materiæ differentiam, quam materiam esse, magnum inquam ipsum ac paruum, quemadmodum & naturales rarum dicunt & densum, primas hæc asserentes subiecti differentias esse: hæc enim excessus quidam sunt & defectus. De motu vero quid putare oportet? Si motus hæc sunt, formæ mouebuntur, ut patet. Sin vero non sunt, unde motus accessit? Tota namque consideratio de natura sublata est.

78 Omnino autem philosophia quærente manifestarum rerum causam, hanc quidem omisimus.) Eo quoque nomine insectatur idearum assertores, quod cum inquisitio proposita ijs qui in rerum contemplatione versantur, sit cognoscere, quæ causa sit efficiens harum sensibilium & manifestarum rerum, & qua ratione harum quæque generetur: isti tamen, quænam sit huiusmodi causa, inuestigare omiserunt. Nam de causa unde nascitur principium motus, quæ quidem est efficiens, ne verbum quidem fecerunt. Idea enim nullius rei est efficiens. Putantes enim se substantiam formalemque causam ipsarum reddere, omnes enim causæ quadrupliciter dicuntur, alias quasdam substantias, & alias formas a manifestis diuersas esse statuebant, quas ideas vocabant: cæterum illæ quomodo sint harum rerum formæ, minime explicabant. Inanis est enim participationis vox, quam isti vsurpant: quomodo hæc ideis participant, non declarantes, ut supra dixit. quare merito istos

initio accusauit, qui inquirendis rebus alia numero æqualia nihil ad propositam questionem facientia congerent. Sed postquam docuit ideas non esse causas efficiētes, neq; vt formas, cum forma sit in eo cuius est forma, ideæ vero nō sint in his rebus, neq; participationis nomen quidem significare, subiicit ne vt finem quidem & gratia cuius per hos ideas esse causas: quæ tamē causa in cunctis intellectus ac scientiæ naturæq; operibus edendis potissima est quæcunq; enim natura, quæcunq; arte, quæcunq; doctrina efficiuntur, ea item quæ proficiuntur ab electione, alicuius gratia fiunt, & hæc in ipsis est causa facile princeps. At non sic ideas his causas esse placet, qui non vt cætera recte sint, sed omnino vt sint, ideas esse causas aiunt: quippe quas exemplaria, non fines esse tradunt. Nam quomodo illæ harum rerum fines sint, cum finis non præcedat id cuius est finis, sed intelligatur dūtaxat prius, fiat autem posterius, quàm id cuius est finis, ideæ autem præcedant, nec fiant, nec sint in ijs quæ fiunt? Ostenso igitur ideas nō esse causas efficientes, nec formas rerum efficiendarum, nec omnino fines, docet vnde his data fuerit erroris occasio, scilicet, quia cum circa mathematica elaborarent, in horūq; contemplatione philosophiam esse crederent, ac idcirco in his solum versarentur, ea principia rerum esse statuerunt, quæ mathematicorum principia esse putabant: quanquam mathematica dicerent non esse vt fines, sed hæc ita capessere oportere, vt alio fine ferantur: quorum cognitionem antecedentem quandam doctrinam esse dictabant. **Q**uin ipse Plato mathematicas disciplinas philosophiæ tanq̄ ministras appellabat, sed istos licet talia traderent, tamen in hæc solū fuisse philosophatos, ac elaborasse, argumento est, quod numeros omnium rerū principia, ideas autē numeros esse, & res naturales ex mathematicis generari statuebant. Ea nanq; substantia, quam principium materiale rerum naturalium his esse placebat, id est dualitas indefinita, & magnū paruumq;, mathematica potius est, quàm naturalis. dualitas enim quæ potius est numeri quàm rerū naturalium principium, magis est mathematica quàm natura quædam subiecta. Eademq; materiæ prædicatum quoddā, eius explicans differentiam magis quàm subiectum & materia esse videri potest. Sed quia dixerat, prædicari magis, declarat quomodo prædicari intelligat, subiungens, substantiæq; atq; materiæ differentiam, quàm materiam esse. Nam quæadmodum qui rarum & densum ponunt in principijs rerū naturalium, non putant hæc esse materiam, sed materiæ ac subiecti differentias, siue subiectum aer sit, siue ignis, seu deniq; medium aliquod, sic magnum & paruum, & excessus atq; defectus, cuiuspiam subiecti differentiæ potius videri debent, quibus rerum mutatio fiat, quàm esse ipsa subiecta. Sed cū dicit: Hæc enim excessus quidam sunt, & defectus rarum & densum designat, ostēdens ipforum cum magno & paruo, ac omnino cum excessu & defectu similitudinem: quæ quidem non materia sunt, sed materiæ discrimina, cum rarum excessui, densum defectui proportionem respondeat. Sed postquam de vno differuit quod istis formale principium esse placebat, de dualitate quoq; indefinita disputauit, quam vt materiam supponebant. Cæterum motus rebus naturalibus vnde suppetat, nihil isti docuere, tametsi de rebus naturalibus commentanti, & ideas exemplaria esse tradenti, maxime necessarium erat de motu verba facere. Nam si hæc, id est excessus & defectus, motiones sunt, formæ ipsæ mouebuntur, habentes in se principia excessum defectumq;, qui motus esse traduntur: quod istis non placet, qui formas immobiles esse volunt. sin minus motus sunt, vndenam rebus naturalibus, quæ illorum participatione sunt quæ sunt, motum suppetere putemus? Nam quod ad aliquod exemplar esse habet, & insitum motum, id hoc habeat oportet vel ab exemplari, quod ipsum quoque huiusmodi sit, vel a causa quapiam alia. At motu sublato, omnis naturæ contemplatio corruit.

Id præterea non fit, quod facile esse videtur, vnum inquam esse omnia demonstrare. Non enim ipsa designatione vnum omnia fiunt, sed ipsum quid vnum, si quispiam omnia præstet: & neq; etiam hoc, nisi ipsum vniuersale genus dederit esse. hoc autem quibusdam accommodari non potest.

Id præterea non fit, quod facile esse videtur, vnum inquam omnia esse demonstrare. Non enim ipsa designatione vnum omnia fiunt: sed ipsum quid vnum, si quispiam omnia præstet, & neq; etiam hoc, nisi ipsum vniuersale genus dederit esse. hoc autem quibusdam accommodari non potest. Ideas enim assertores vnum principem substantiam esse putantes, quemadmodum Pythagorici, hoc formale principium & causam esse credebant, dum animaduertent vnius naturam causam esse cuiq; vt sit atque conseruetur (nam res quæq; vnum est, quatenus est) contra vero vnius in multa dissolutionem, causam esse interitus. Res enim quæque in sua natura est, quatenus in ipsa sola conseruatur. cum vero dissoluitur, protinus aboletur: cuius fidem partim ab animalibus capiebant, quæ si in vna & eadem specie persistunt, conseruantur. eadem si dissoluantur, intercidunt. partim & a singulis inanimatis. Quinetiam ipsum mundum ideo conseruari putabant, quod in vno & eodē permaneat. eūdem interiturum, si ab illa, vt ita dicā, identitate ac vnitare secesserit. Ob hæc igitur causam vnius naturam, vt res quæq; sit, & bene sit, causam esse rati, ipsum vnum principem omnium rerum causam esse statuebant: & ideas, cæteris rebus causas esse existendi, vtpote quæ vnitates essent, & ob hoc ijs quæ ad ipsas referuntur subigunturque, causas esse formales existendi, & recte habendi. Cæterum expositionem quandam viurpantes, cuncta ad vnum propriamq; substantiam redigere nite-

Idearū fin-
gendarum
ocasio.

Mathema-
tica disci-
plinæ, phi-
losophiæ
tanq̄ mini-
stræ.

Pythago-
rici.

Rerum cō-
seruatio, in
quo consi-
stat.

bantur, ad hunc modum. propositis singulis hominibus, similitudinem in ipsis omnibus considerabant. quam cum vnam & eandem in cunctis hominibus, qua homines sunt, reperirent, in hanc unitatem omnes homines referentes, vnius communione homines esse dicebant, & hoc vnum in cunctis hominibus ipsi hominem appellabant. Eadem ratione in equis, & canibus, cæterisque utebantur. Rursus homines cum canibus, ac cæteris animalibus conferentes, putabant hæc per vnum quoddam esse animalia: quod vnum causam esse statuebant ut hæc essent animalia, & iterum quandam unitatem & ideam cominiscebantur, quã ipsi animal appellabant, in quam redigebant animalia. Tum animalia & stirpes, cæteraque corpora sumentes, & vnius communione hæc esse substantias reperiētes, quandam ideam & unitatem substantiæ faciebāt, id est ipsi substantiam, ad quam rursus omnes substantias referrent. Eadem ratione substantiam, & qualitatem communione entis entia esse rati, ipsi ens congingebant, in quod entia omnia referrentur. Atq; hac quidem expositione vsi, ad vnum & principium videntur omnia referre. Sed quanquã ista expositione sumere, & ut manifestum demonstrare sibi videbatur, omnia vnum fieri: non tamen sic fieri ait, ut ipsi putant. Nam cum expositis quibusdã pluribus, & sumpta quadam cõmunitate, id vnum & ideam effecerint, in quo est cõmunitas & similitudo illorum, non tamen ipsa quæ exposita sunt, vnum efficiuntur, ut isti volunt: ut verbi causa homines vnum sint, sed ipsi homo vnum quiddam fuerit, qui ab ipsis ostenditur ex illorũ mutua similitudine, ipsi autem multi non sunt vnum. Ita licet istis omnia quæ sumunt concedatur, nunquã tamẽ efficiunt, ut multa omniaq; vnum fiant, sed ut fiant quidem ad vnum exemplar, maneat tamẽ in multitudine. haud enim multi & singuli homines ipsi homines esse demonstrantur. ipsi homo enim diuersus est ab his, neq; omnia entia sunt ipsi ens, & ipsi vnum, sed quiddam commune ipsis pluribus, est ipsum vnum & ens. Itaq; etsi demus istis hæc fieri ad quoddam exemplar per se vnum, & esse quoddam vnũ, cuius cõmunionem multa hæc eadem inter se specie vel genere esse dicantur, non tamen eueniet ut cuncta vnum fiant, licet per singulas horum multorum similitudines quiddam per se vnum, & vnitas quædam efficiatur. Quanquã ne hoc quidem, ait, in cunctis similitudinibus ostendi ac dici potest, ut multa per omnem similitudinẽ sub vno quodam cõprehendantur, nili fuerit speciei aut generis similitudo. Identitas enim & similitudo in substantia, genere, atq; specie, est idea, non similitudo in accidenti. Multa enim sunt, quæ per quandam mutuã similitudinẽ similiter dicuntur, in quibus quoniã similitudo non est in genere aut specie, nullum erit per se vnum: cuiusmodi sunt quæ negatiue dicuntur. Non currit enim, commune est & simile ijs de quibus vere prædicatur, sed neq; genus hæc habet, neq; speciem, neq; ipsum non currit est idea quædã. Iam in sedentibus, deambulantiis, mortuis, intereuntibus, & perisq; alijs, quæ alicuius habent cõmunitatem, non licet aliquid per se vnum accipere. Quid? quod patres per quandam cõmunem habitudinẽ patres omnes sunt, non tamen est aliquid vnum ipsi pater? Et trianguli internos angulos duobus rectis esse æquales, vniuersale omniũ triangulorum est, non tamẽ genus. Itaq; non in omnibus licet vnum per expositionem sumentes, ipsum per se vnum efficere, & in hoc cuncta referre, sed in ijs tantum in quibus, quod communiter prædicatur, & vniuersaliter dicitur, est genus, aut species. Ex quo intelligitur nihil aliud his esse ideã nisi genera & species, quæ communiter dicuntur, & vniuoce prædicantur de ijs quorum species vel genera sunt. Itaq; tãtum abest, ut omnia in vnum quiddam ab istis, ut putabant, redigantur, ut ne possint quidem per omnem similitudinẽ vnum in multis sumere. Illud autem (si quispiam omnia præstet) idcirco dixisse videretur, ut doceret, non esse his concedendum, si qua similiter inter se dicantur per mutuam similitudinẽ, protinus illud vnum esse ponendum, ut omnia illi subiecta ad ipsum habeant esse, quod vnum sit ab ipsis separatum. Aut si quispiam omnia præstet, significat, si quis concedat omnia quæ similiter inter se dicuntur, cuiusdam vnius cõmunionem ita dici, & illud quoq; cõcedat, tale vnum in multis esse, non tamen id in alijs erit quã in generibus & speciebus communibus. Hæc enim sola quæ sic sunt communia & vniuersalia, ideam quandam naturæ videtur significare. Hoc autem in quibusdam accommodari non potest) sit enim ut quædam quæ cõmuniter de aliquibus prædicantur, nequeant esse genera eorum de quibus cõmuniter dicuntur. Huiusmodi enim sunt, quæ dicuntur multipliciter. Hæc autem ipse potissimum propter ens dixisse videri potest, quod ens isti ut genus quoddam totorum vniuersaliẽ sumētes, ipsi ens & ipsi vnum ideam faciebant, & in hoc referebant omnia. At si vnum non est genus, sed ex eorũ numero quæ multifariam dicuntur, haud dubie similitudo entium secundum hoc non est (ut ita loquar) substantialis.

At vero neq; rationem vllam habent longitudines, plana ac solida, quæ sunt post numeros, quoniam pacto sunt aut erunt, neq; vim vllam habent. Hæc enim neq; formæ esse possunt, quippe cum non sint numeri, neq; media (illa enim sunt mathematica) neq; ea quæ corrumpuntur. Sed rursus quartum hoc aliud genus emerget.

80 At vero neque rationem vllam habet quæ sunt post numeros) Quæ sunt numeris posteriora, ipse declarat subiungens, Longitudines, plana, atq; solida.) Pythagorici enim atque Plato entia in hæc partientes, eorum principia, primaq; numeros esse tradebant. Proxime ab his longitudes, tum plana, deinde solida, ceu hæc non sint numeri. Sed quemadmodum hæc inter se ordinem seruant, sic haud dubie eorũdem principia inter ipsa seruabunt. Horũ enim cuiq; sua principia istis esse placet,

Idea quod sit
apud Plato
nicos.

Mathemati-
ca nō sūt
principia.

quippe qui & horum ideas esse statuebāt, quæ iam numeris posteriorū principia sint. At si longitu-
dinis, & plani atque solidi principia sunt ipsilongitudo, ipsilatitudo, ipsifolidum, inuestigare opus
est, qua natura & facultate participant per idearum auctores. Hæc enim non sunt ideæ. Nam ideæ
numeri sunt, hæc autem non sunt numeri, vt quæ ordinem obtineant numeris posteriorem. Sed ne-
que breue & longum, angustum & latum, altum & humile, quæ horum principia esse putantur, nu-
meri sunt. Neq; Mathematicis hæc possunt annumerari, quæ media idearum & rerum sensibilibus
illis esse placet. Mathematica enim quæ ex illis existunt, non sunt ipsorum principia, cum Mathe-
matica non sint principia, & sint diuidua & plura, illa vero principia & indiuidua & sempiterna.
Sed ne mortalia quidem hæc sunt, quippe cum principia sint, & interitus immunia. Superest igitur
vt hæc istis sit quarta entium natura, & quartum genus præter illa tria, quæ ab istis ponuntur, ideæ,
mathematica & sensibilia. Nam Mathematicorū principia ab his omnibus dissidere intelliguntur.
Neq; enim ideæ sunt, cum non sint numeri, nec ex duobus reliquis quæ dicta sunt, quoniā hæc vnū
esse dicunt, & ordinem quem diximus, ipsis tribuunt. sed quo pacto sint, aut in qua entium natura per
istos habeantur, explicare non est. Nam quæ natura existunt, ea vel ideæ sunt istorum sententia, vel
Mathematica, vel sensibilia, ipsilongitudo, aut ipsiplanum, ipsifolidum. ideas esse non conuenit,
quoniam ideas numeros his esse placet, hæc vero numeris posteriora. nec item media, cum Mathe-
matica his media sint. & alioquin plura essent: quod contra esse oportet. Nam ipsilongitudo non est
plura, nec ipsiplanum, nec denique ipsifolidum. Sed neque possunt hæc sensibilibus & mortalibus
annumerari, quippe quorum nullum est proprie ens: quo fit, vt hoc quartum genus entium ab istis
effici videtur

Omnino autem fieri non potest, vt elementa eorum quæ sunt, quisquam inueniat
quærendo, si non ipsa, cum multipliciter dicantur, distinxerit, præsertim si hoc modo
quærat, ex quibusnam sint elementis. fieri enim non potest, vt ea ex quibus actio con-
stat, aut passio, aut actio, aut rectum accipiantur, sed substantiarum tantummodo su-
mi possunt. Quare rerum omnium elementa quærendo, aut habere putare, superua-
caneum est, & non verum.

Entia mul-
tifariam di-
cuntur.

Nullius
præterquā
substantiæ
est materia

Omnino autem fieri non potest, vt elementa eorum quæ sunt, quisquam inueniat quærendo, nisi
ipsa, cum multipliciter dicantur, distinxerit. Ratio est huiusmodi. Quorum non sunt principia com-
munia, horum fieri non potest vt principia communia reperiantur. entium autem non sunt princi-
pia communia, ipsorum ergo principia communia reperiri non possunt. Quod vero entium non
habeantur principia communia & eadem, hinc arguitur, quia entia multifariam dicuntur, vt multis
in locis dictum est. His autem vitio vertit, quod entium principia indagabant, antequam ipsa par-
tarentur, & notiones entis explicarent. Sed illud est etiamnum alienius, ea principia entium eadem
quærendo, ex quibus entia constant, id est materiam & formam. Huiusmodi enim sunt indefinita
dualitas & vnitas, quæ isti principia esse statuebant, cum sint entia quædam quæ ex propria natu-
ra huiusmodi principia & elementa non habeant nisi ex accidenti. Effectio enim aut permissio, ex
qua materia constabunt: hæc nanque materiam ex accidenti habere dicuntur. Quia enim substan-
tijs, quarum habetur materia, hæc adsunt: idcirco & his materia suppetere videri potest, non autem
per se. Similiter nec recti, nec cuiusquam alterius præterquam substantiæ habetur materia. Idcirco
enim dixit non licere horum talia sumere elementa, quoniam omnino non sunt. huiusmodi enim
principia quæ quasi elementa & insita sunt, & ex quibus aliquid esse dicitur, solius substantiæ esse re-
periuntur, quippe cum hæc vna ex entibus subiectum sit, cætera in hac, & huius aliquid esse dican-
tur. Huiusmodi ergo principia eorum quorum nulla sunt, indagare, aut se inuenisse credere, sum-
mæ dementiæ est.

Quoniam etiam pacto quisquam elementa omnium discet? Patet enim antecedere
non posse cognitionem. nam vt is qui Geometriam discit, alia quidem ante cognosce-
re potest, nihil autem eorum quorum est scientia, & quæ sunt sibi discenda, prius co-
gnoscit, sic & alijs fieri solet. Quare si omnium aliqua scientia est, qualem inquirunt
quidam, nihil is antea sane cognoscit. Omnis tamen disciplina per antea nota, aut om-
nia, aut aliqua fit, & aut per demonstrationem, aut per definitiones efficitur. Ea enim
ex quibus definitio constat, antea cognoscantur, & sint nota oportet, similiter & ea quæ
fit per inductionem.

Quoniam etiam pacto quisquam elementa omnium discet? Docet quanuis omnium entium ele-
menta communia sint, fieri tamen non posse, vt ipsorum doctrina scientiaque habeatur. & cur fieri
nequeat, vt omnium elementa discamus, causam subiungit dicens. Patet enim antecedere non posse
cognitionem) quæ ratio ad hunc modum explicatur, fieri non potest, vt eorum quæ habent princi-

pia, quidquam intelligamus: nisi principia ipsius cognouerimus. Nam quorum cognitio habetur per principia, hæc ante principiorum cognitionem intelligi nequeunt, sed omnium entium per istos principia sunt communia, fieri ergo non potest, ut entium quodpiam intelligamus, nisi ante principia cognouerimus. At quorum habentium principia, principia discere est impossibile, horum scientia haberi minime potest. entium autem principia discere est impossibile, ergo ne fieri quidem potest, ut entium doctrinam habeamus. Nam fieri non posse, ut entium principia discantur, docet cum ad hunc modum ait: Omnis disciplina ex præcognitis fit quoniam ut in ipso statim initio posteriorum resolutiorum dixit, omnis doctrina, & omnis disciplina intellectualis ex antecedente cognitione fit. Nã etsi que aliquis ignoras discit, ea ut ante cognoscat, fieri nõ potest, aliqua tamẽ ipsum præcognoscere necesse est, quibus ea cognoscat per quæ doctrina contingit. Qui enim Geometriam discit, is quanquã in ipso discendi initio nihil eorum cognoscit, quorum Geometria est sciẽtia, aliqua tamen intelligit ex quibus ea cognoscit per quæ ipsa efficitur doctrina, verbi causa maius, minus, æquale, rectum, refractum. longitudinis item ac latitudinis, corporisq; intellectum habet. Si ergo doctrina omnis non ipsis quæ discuntur, sed alijs quibusdam præcognitis efficitur, profecto qui entium principia per doctrinam est cogniturus, hunc ut alia quædã cognoscat necesse est, quod fieri certe nõ potest. Nã quid quid intelligi dicitur, id ens esse, ac sub entis principia cadere reperietur. Fieri autẽ nõ potest ut quis ens aliquod prius cognoscat, q̃ eius principia didicerit. aut ergo prius cognouerit quæ discit: aut certe nõquam discet. Quod vero disciplina omnis nascatur ex præcognitis, docet argumento mathematicarum. Discimus enim aliquid vel per demonstrationem, vel per definitionem, vel per inductionem. & in doctrinis q̃ demonstratione parantur, aliqua sunt discendi nota, diuersa ab ijs quæ demonstrantur, sententiæ videlicet, quæ sunt naturales quædam intelligentiæ, & propositiones medio vacantes, quales hæc sunt. Quæ sunt eidem æqualia, ea inter se quoq; æqualia sunt. De omni est affirmatio, aut negatio. Bonum est suapte natura utile. Omnis autẽ cognitio quæ per ratiocinationem, id est syllogismum accipitur, per ante cognita comparatur: per propositiones videlicet, quas confessas, & positas esse oportet. Item quæ per definitiones habetur. Nam qui discit hominis definitionem esse animal pedestre bipes, is non præcognoscit hæc esse hominem, tamen horum singula cognoscit, animal, & pedestre, & bipes. Alioquin nunquam disceret hominem esse isthæc. Similis est ratio inductionis, quæ cum vniuersale docere velit, oportet tamen discendi singularia per quæ docetur, esse cognita. Si ergo doctrina omnis ad hunc modum sese habet: & qui omnium rerum principia & quærunt, & se docere profitentur, negant posse discendem quidquam cognoscere, & intelligere, nimirum iidem & doctrinam & disciplinam tollunt. Aut omnia, aut aliqua dixit, quoniam in demonstratione & syllogismo fieri potest, ut quispiam vtranq; propositionem præcognoscat, noueritq; & item in definitione omnia ex quibus fit definitio, prænouerit. Nam inductio per omnia nota & præcognita procedit. vel omnia, ut in definitionibus, inductionibusq; aliqua, ut in demonstrationibus.

Discendi
modus.

Atqui si est insita nobis, mirabile est profecto quo pacto nos latet potissimam scientiarum habere.

- 83 Aque si est insita nobis) Negauit disciplinam esse, si omnium rerum principia & causæ communes sunt: nunc ut citra doctrinam, rerum cognitio sit nobis innata, nec doctrina præceptioneque opus sit ad scientiam comparandam, fieri non posse docet, in hunc modum. Cognitio potissimorum præstantissima scientiarum est, cognitio autem principiorum, quæ omnium entium principia quibusdam esse placet, est cognitio potissimorum. Id enim propter quod aliquid est, semper est potius eo quod propter illud est, posteriora vero principijs propter principia sunt, principiorum ergo cognitio scientiarum est præstantissima. At habentes sibi insitam scientiarum nobilissimam, ignorare se habere, nulla ratione confirmatur. An sensum nobis innatum habere scimus, posse nos ambulare nobis cognitum est, rerum autem scientiam habere, cum habeamus ipsarum principia, aut scire nos omnium rerum principia ipsi ignoramus? neq; scrutantes id dicere valemus. Quomodo ergo eorum quæ nescimus, innatam scientiam habere possumus? Et fortasse hæc idcirco ab ipso dicta sunt, ut hac quoque parte istorum placita corrigeret, qui nobis rerum scientiam innatam esse tradunt, quippe quibus discere reminisci esse videatur.

Discere notum non esse reminit sci.

Præterea quonam pacto quispiam cognoscat ex quibus sunt omnia, & quonam modo patebit? Hoc enim habet dubitationem. Dubitauerit enim quispiam, perinde atq; circa etiã syllabas quasdam. Nam quidam xa syllabam ex c & f & a constare dicunt, quidam alterum sonum ipsius proprium inquiunt esse, & nullum eorum qui non sunt.

- 84 Præterea quonam pacto quispiam cognoscat, ex quibus sunt omnia, & quonam modo patebit? hoc enim habet dubitationem. Si omnium rerum communia & eadem sunt principia, quomodo hæc quanam sint cognoscat? & ex his entia constare scias? nisi quædã præcognoueris, quibus noscere & ostendere valeas, hæc esse. Nã qui caret principijs ad cognoscendum quod quæratur, is quomodo hæc potius quàm illa principia esse cognoscat? non igitur sine cõtrouersia hæc esse principia inter omnes

Elementa
duplicita.

conueniet. Sed quemadmodum quæritur hæc syllaba za utrū per z & a scribi debeat, an per f d a, sic de principijs dubium esse potest. Hæc autem per binas olim literas singula scribebantur: ac idcirco duplicia hæc elemēta nuncupabantur, z per s d, x per c s, † per p s. Cognosceret enim quispiam ipsa principia, quæretque si venerint in dubium, per definitionem, vel per syllogismum, aut per inductionem. quæ omnia, vt dictum est, per ante cognita demonstrant: quo in loco eam quæstionem perstringere videtur, de qua in Mēnone Plato mētionem fecit, ceu disputari hæc possit aduersus eos qui omnium entium principia quædam communia atque eadem asserebant. Isti enim fateri cōuincuntur, principia doceri apta esse. Neque enim scientiarum præstantissimam, quæ omnium est cognitio, habemus, & nos habere ignoramus. Sed quoniam qui principia rerū ignorat, is nullum ens valet cognoscere, idcirco discētes huiusmodi principia, nullius entium præcognitionem habēt. quo fit, vt licet alicuius entis principia inuenerint, nequeant tamen an illius principia sint cognoscere: scilicet quoniam hoc per antecedentes quasdam cognitiones efficitur. quas vt is habeat, qui nondum entis principia nactus est, fieri nō potest. Illud autem (ex quibus sunt) significare videtur principia quæ illi omnium entium communia quærebant, hoc est materiam & formam.

Præterea quonam modo quispiam sensum non habens, ea quorum est sensus, cognosceret? Oportebat tamen si omnium ea sunt elementa, ex quibus perinde atque compositæ voces ex elementis propriis constant.

Rerū prin-
cipia sensibi-
lia nō sunt.

Præterea quonam modo quispiam sensum non habens, ea quorū est sensus, cognosceret? Hæc quæque dicit ad confirmandū non eadem esse omnium rerum principia, & elementa. Si qua enim principia communia essent omnium entium, qui hæc didicisset, per ipsa posset omnia entia cognoscere. Nam quemadmodum cui omnes literæ & elementa nota sunt, is omnes voces ex his constitutas cognoscit: sic cognoscenti omnium rerum principia, vsu veniret vt per hæc cognosceret quæ ex ipsis fiunt. ac proinde cui nota sunt hæc principia, is sensibilia quoque valebit cognoscere. siquidē hæc cum entia sint, ex illis constituentur. Quomodo igitur qui sensum non habet, is sensibilia cognoscat, quæ sensu, non alio quopiam cognoscuntur? At tunc fieret, vt cognosceretur ab eo, qui ipsorum nosset principia. Nosset autem qui omnium rerum cōmunia principia cognosceret, etiam si non haberet sensum. Neque enim rerum principia sensibilia sunt. Nam vt non sensibilia per principia cognoscit, sic per ipsa cognosceret sensibilia, cum illa similiter horum principia sint. Et vt omnes voces compositæ, quarum eadem sunt elementa, ex eisdem elementis constituuntur, sic omnia entia ex eisdem elementis erunt cognita, si eadem sunt omnium entium elementa. Neque vero sibi ipse non constar qui entis qua ens est principia & causas quærit, idēque per hæc demonstrat illa non posse cognosci. docebit enim non omnium entium communia quædam esse principia, vt illi rebatur, qui per communes similitudines ad vnum cuncta redigere tentabant. sed principia entis, qua ens est, quæ ab ipso indagantur, sunt omnium entium principia, non tamen eodem modo, sed proprie substantiæ, cæterorum vero à substantia, cum proprie non sint principia, efficiuntur quodammodo, quoniam cæterorum entium quodque suum esse a substantia mutuatur.

Ex his igitur quæ prius sunt dicta, patet eas vniuersos videri causas quærere, quamuis obscure, quas in naturalibus diximus, nullamque nos aliam præter illas dicere posse, atque prius partim omnes, partim nullo modo dictas fuisse. Prima nanque philosophia, vt noua quædam primoque orta, balbutiēs de omnibus esse videtur. Nam & Empedocles os ratione constare dicit, hoc autem est quidditas rei, substantiæ. Atqui similiter & carnis cæterorumque cuiusque rationem, vel nullius esse oportet. Ob hoc enim & caro, & os, & vnumquodque cæterorum est, & non ob materiam, quam ille terram, ignem, aerem, atque aquam esse dicit. Verum hæc ille, si alius diceret, necessario concessisset, dilucide vero non dixit.

Ante Aristotelē rudis erat philosophia.

Ex his igitur quæ dicta sunt, patet eas vniuersos videri causas quærere, quas in naturalibus diximus. In Phisico auditu omnes causas ad quatuor ipse genera causarum redegit, quod vt hoc quoque in loco probaret, descendit ad sententias de causis disputandas, cōcludens, si nemo priorum aliquod aliud causæ genus quæsiuit, aut inuenit, omnes qui de causis sunt loquuti, aliquam commemoratarum causarum attulisse: quosdam vnam: vt qui materialem afferebant: alios duas, quosdam tres. quarum pars efficientem materiali adijciebant: vt Anaxagoras & Empedocles. pars formam, vt ideas. quidam vtranque causam attigerunt, id est efficientem & formalem, vt de Empedocle declarabit. Cæterum præter hæc genera causarum nemo aliud inuestigauit aut posuit, sed obscure omnes, & parum distincte de causis differuerunt. Nam Plato inuenietur ille quidem de quatuor causis meminisse, Empedocles de tribus, vt dicitur, non tamen aperte & definite. Cuius incommodi causam esse docet, quod ante Aristotelē nondum exacte aliqua eorum quæ in philosophia tractantur, sciētia erat inuenta, licet quidā studiū adhibuissent, sed ruditer & cōfuse. Ac vt solent à blēsis voces pronūciari,

sic priores de philosophia disputabant, quod Empedoclis docet exemplo, qui os ratione constare dicit, non materia. Materia enim per ipsum alijs quoque rebus est communis, quam esse quatuor elementa putabat: idemque os in tali & tanta horum temperatura fieri dicebat: ut patet ex eius carminibus. Quod si ossibus ut ossa sint, a ratione suppetit, hoc est a forma & substantia, & ut ita loquar, quiditate, profecto & carni, & neruo, & entium cuique, ut lapidi & ligno, a ratione & forma esse supeditabitur. Aut enim cunctis in rebus forma & ratio causa est ut quodque id sit quod est, aut in nulla, cum entium discrimen in ratione & forma consistat quamobrem hoc caro, illud os, & aliud, aliud est. Materia enim per ipsum, ut diximus, cunctis entibus est eadem, quippe cui quatuor elementa materiale principium esse placet. Hæc igitur ad hunc modum sese habere, & formam cuique causam esse ut certa quædam res sit, Empedoclem assensurum fuisse, dubium non est, si quis ei rationes proposuisset, docuissetque singula quæque ad hunc modum sese habere. ipse tamē dum per se loqueretur, nihil perspicue definiuit, neque ex scientia quadam differuit, quippe qui ne similiter quidem de cunctis similibus statuit.

Empedoclis opinio

Sed de his quidem & prius est declaratum. Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit. Ex ipsis enim facultatem ad posteriores dubitationes forsitan consequemur.

87 Sed de his quidem prius declaratum est. De his dicere videtur, quoniam supra dum Anaxagoræ opinionem differeret, dixerat ipsum cuiuspiam alij talia dicenti assensurum fuisse, nihil tamen eundem de his aperte tradidisse, non magis quam Empedoclem, de quo nunc verba facit. Præterea quæstiones quasdam disserturum se pollicetur ad rationem principiorum pertinentes, quibus exponendis & recte disputandis viam nobis aperiri ait ad posteriorum dubitorum solutiones. Nam quæstiones circa principia solutionesque, principia sunt solutionis eorum quæ postea in dubium veniunt. Significat autem quæstiones quæ in secundo libro disputantur. Ex quibus verbis huic libro secundus liber proximus esse videri potest. veruntamen quæ in hoc loco proponuntur, in primo etiã minore libro disputantur. Præfatus enim illud, Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit de principijs & causis in proximo libro qui minor primus inscribitur, quærit atque disputat.

FINIS I LIBRI.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI IN LIBRUM primum minorem primæ philosophiæ, qui Latinis est secundus, Interprete Io. Genelio.



Contemplatio veritatis partim difficilis, partim facilis est. Indicium autem est, neque digne quempiam ipsam consequi posse, neque uniuersos etiã aberrare, sed quemque de natura aliquid dicere, & singulos quidem nihil aut parum ad ipsam conferre, ex omnibus autem cogitis magnitudinem quandam emergere.



In primus liber primæ philosophiæ est ille quidem Aristotelis opus, quantum ex dicendi caractere ipsaque disputandi ratione coniectura consequi possumus: non tamen solidus, sed mutilatus, & libri pars quædam esse videtur, si quis libri & initium & exiguitatem spectet. Quatenus igitur in hoc quoque libro de principijs habetur sermo, hic a primo maiore non videtur discrepare: sed potius ipsum de principijs & causis agentem sequi, quippe in cuius calce sic scriptum est: Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit. Ex ipsis enim facultatem ad posteriores dubitationes forsitan consequemur. quibus verbis illo libro conclusio, in hoc querere seruato ordine videtur, utrum principia & causæ in infinitum progrediantur. Docetque in ipsis esse principium aliquod, nec esse antecessiones in infinitum. Rursus si ad eius finem intueamur, hic non huius ordinis esse videbitur, sed præfatio quædam naturalis disciplinæ. Quasi enim deinceps inuestigaturus quæsiturusque esset, natura quidnam sit, librum his verbis clausit, (Quamobrem primum quid sit natura, considerare oportet. hoc enim pacto & quibus de rebus est scientia naturalis, patebit.) At hoc considerare, importet. hoc enim pacto & quibus de rebus est scientia naturalis, patebit. Accedit, quod primum est Philosophi naturalis, quoniam in auditu physico de natura disputauit. Accedit, quod primum secundum non differit de natura, ut cum hoc congruere, & hunc sequi videatur, sed ea potius explicat ac exponit, quæ ut in hac doctrina prius quærantur siue dubitentur necesse est: quo fit, ut secundus liber potius primum maiorem sequi videatur: quippe cuius principium cum illius finem cohercat. Illic enim dicturum se proficitur de quæstionibus quæ afferri possent ad principia ipsorumque inuentionem pertinentes, in secundo vero id ipsum promissum præstare videtur. Verum enim uero quæ in hoc libro traduntur, ne ea quidem cuncta a proposita doctrina videntur ab-

d iij

Enarratio prima.

Libri huius ac superioris ratio ac ordo.